WBP
Oboly

CLARISS. VIRI

IVSTI LIPSI

MVSAE ERRANTES.

Ex Auctoris ſchedis partem deſcripſit, ſparſas collegit, ac iunctim poſteritati edidit

FRANCISCVS SWEERTIVS F.

ANTVERPIENSIS.



ANTVERPIAE,

Apud Ioannem Keerbergium.

M. DC. X.

REVER^MO ET AMPLISS^MO

DOMINO

D. CAROLO PHILIPPO

DE RODOAN, BERLEGEMIO,

Episcopo Brugensi, & perpetuo Flandriæ Cancellario.

Erunt Aristotelem Peripateticæ scholæ Principem, RODOANE Antistes, diuini Platonis magistri quondam sui, diuinos ingenij partus vehementer fuisse admiratum, atque ad sidera vsque euexisse. Neque illud modò, sed & peruigili labore & indefatigabili curâ scrutatum, si quæ vspiam scripta delitescerent, vt ea quoque ad posteros fide bonâ transmitteret. Præclarè, neque enim fas est, referente Senecâ, quippiam senium sentire & exitium, quod à magnis & immortalitate dignis viris fuerit profectum. Vidimus paucis ab hinc annis, multâ insignem eruditione IVSTVM LIPSIVM Romanæ linguæ flumen, qui doctrinæ suæ clarissimâ face ac libris

omni varietate refertis, ſeculum hoc noſtrum ac Belgas ſuos mirificè illuſtrauit. Et quoniam nonnulla adhuc ſuperſunt, quæ vel nondum lucem viderunt, vel ſparſa in templis, libris, hortis & ambulationibus cernuntur, pretium mihi operæ viſum fuit, ea ſimul omnia colligere, ſummoque ſtudio collecta, ſub nominis tui, AMPLISSME PRAESVL, fauſtiſsimis auſpicijs euulgare. IVSTVM LIPSIVM dum in viuis eſſet, impenſè amaſti. Teſtes tuæ ad illum, ac illius ad te ſuauiſsimæ literæ, quæ leguntur, & omnium manibus teruntur. Sed & in ea vrbe Princeps Sacrorum ſedes, in qua ipſe magno ſemper in pretio eſt habitus. Deus bone! quanta ei cum VICTORE GISELINO familiaritas interceſsit! quãta cum IANO LERNVTIO Poëtarum ocello! Taceo illuſtrem virum ANSELMVM OPITIVM ADVRNIVM, qui V. Conſul Reipub. veſtræ gubernacula tenet; AVDEIANTIVM, quondam eius diſcipulum, nunc pœnitentium Præfectum; BLOOTACKERIVM alioſque propemodum innumerabiles, quibus ille omnibus in delitijs fuit & admiratione. Eſt & aliud quod me inuitauit ire ad te, ſingularis ſcilicet ac propè incredibilis tuus in philomuſos omnes amor. Senſit hunc non ita pridem frater meus ROBERTVS *Syluæducenſium nunc Plebanus*, cùm tuis eum literis tuum eſſe deſideraſti, hoc vno ſollicitus vt eum honorifico & opulento ſacerdotio beares. Et verò paucis abhinc annis Enamiæ cùm eſſem,

eſſem, incognitum licet me complexus es, ac in me amorem literarum, hortatorque mihi fuiſti, vt illo quo ceperam pede animoſè pergerem, multis rebus ſitu & vetuſtate obſcuris lucem afferre.

Hortator fuiſti? experiar poſthac te conatuum meorum laudatorem, ac opellæ huius, quam Reuerendiſsimæ Paternitati veſtræ rurſum dico ac ſacro, eximium patronum: Vtinam virtutis tuæ tam perpetuum, quàm mei affectus cultuſque ſincerum monumentum! Accipies igitur munuſculum hoc Xenij loco, paruum omnino, quia Sacrorum Præſidi offertur, magnum tamen quia à viro magno IVSTO LIPSIO conceptum: longè maximum quia ab animo meo verè amico profectum eſt. DEVS opt. max. Eccleſiæ ſuæ iſtis in locis & ſylueſcenti & laboranti, te multos annos ſoſpitet & incolumem tueatur; ita corde & animo voueo.

Antuerpiæ. Kal Ianuar. CIↃ. IↃCX. NICOLAO ROCKOXIO & HENRICO HALMALIO COSS.

R^MAE D. V.

addictiſsimus Cliens

Franciſcus Sweertius F. Antuerpienſis.

AD LECTOREM
Beneuolum.

DVM indefesso labore felicissimi Lipsiani ingenij partus inuestigo, & ad prælum concinno, ecce non nemo vestem vellicat meam. Quid agis, mi SWEERTI, inclamans. Quod facis, præter mentem est tui quondam LIPSI. Siccine aio, vti affirmas, doce. Tum ille scedulam obtrudit Lipsianæ voluntatis indicem. Illa sic habebat.

Curatores testamenti mei & huius omnis voluntatis sunto: NICOLAVS OVDARTVS *Canonicus Mechliniæ, &* IOANNES WOVERIVS: *itemque olim minister meus, nunc Canonicus in D. Petri,* GVILIELMVS WARGNIRIVS. *Isti fidem mihi præstent, quam præsumo & puto me nosse. Scriptorum meorum, cuiuscunque generis, nihil præter edita, edi volo. Excipio Centuriam vnam, & (si otium erit) alteram à me sepositam & collectam. Si quis aliter quocunque fine aut titulo, sacer atque intestabilis esto, &* DEVS VINDICATO *in ipso posterisque,* CAVEAT.

Tunc ego, rectè, næ ego ille sum qui à mente eius vltima longius abeam. LIPSIVS in amicorum numero non vltimis subsellijs collocatus fuit, cui si viuo sacrificauero, & nunc mortuo insultauero, grande omnino crimen. Audi ergo Lector, & quicunque Theoninum dentem opellæ huic nostræ inferre paras: Nihil præter edita cauet edi LIPSIVS, bene est. Ita voue-mus, ita spondemus. Sed nos saniore ac meliore iudicio, ea omnia edita censemus quæ libris præfixa carmina, quæ tabellis appensa Epitaphia, quæ Amicorum albis vitreisque fenestris inscripta monumenta. De Testimonijs quid dicam? nónne eo fine dantur, vt ab omnibus legantur? Hoc solum te monitum volui. VALE, lege, & ita mecum senti. Sed heus. Hoc ferè exciderat, Siquid habes apud te reconditum, submitte. Ita SWEERTIVS, ita LIPSIVS supplicamus. Auctarium dabimus. Certè multum ego, multum vniuersa posteritas CL. Viro ERYCIO PVTEANO debemus, cuius operâ in hoc opere non parum adiuti sumus. Quare illi gratias habemus immortales. Fac Lector, vt illas ipsas tibi quoque aliquando habeamus.

IN

IN CL. IVSTI LIPSI
MVSAS ERRANTES,

LAVRENTIVS BEYERLINCK
S. Theolog. Licent. & Cens. Antuerp.

SWEERTI, Castaliæ iubar coronæ,
Qui, seu doctus obis seueriores,
Graui pollice, seu venustiores,
Chordis associas modos iocosis:
Musam semper habes benigniorem,
Quæ sacros puero dedit liquores,
Et gratos simul indidit lepores,
Quin stylo celebres viros, perennas,
Dum quicquid latet abditum tenebris,
Quod mens æmula Pallados amatæ,
Docta quod manus edidit, sacrata
Quæ necdum volitant virûm per ora,
Luci restituis fauentiori.
Hinc te Belgica suspicit Iuuentus
Musis sacra, stupet tuum senectus
Nomen, postuma quod probabit ætas.
Et nouem faciles tibi puellæ,
Fontis Gorgonei decus puellæ;
Adnectunt hederas sequaciores,
SWEERTI, Castaliæ iubar coronæ.

AETER-

ÆTERNÆ MEMORIÆ

IVSTO LIPSIO,

ET

FRANCISCO SVVEERTIO F.

COLLECTORI, AMICITIÆ ET

cognationis ergò concinnabat hanc oden.

QVAE *cura vatum iusta canentium*
Plenis honorum Carminibus tibi
Heu MAGNE LIPSI, *scripta quondam*
Per titulos memoresq́ fastos
Aeternet! ô quà Sol habitabiles
Illustrat oras Inclyte Litteris,
Rerumq́ prudens abditarum,
O sophiæ veteris medulla!
Ne fortè credas interitura quæ
Longè per omneis Orbis & angulos,
Et pulpitorum sparsa claustra
Verba canis socianda chordis.
„ *Paullùm sepultæ distat inertiæ*
„ *Celata virtus: Non tibi prouidus*
Hanc SWEERTIVS *lucem recondit*
Totq́ tuas patitur camœnas
Impunè LIPSI, *carpere liuidas*
Obliuiones. Est animus tibi

Est

Est musa prisca, sed diserta;
Socraticis referenda chartis.
Abi profanum vulgus & abstine,
Fauete linguis: Carmina non prius
Audita Musarum sacerdos
Principibus Ducibusq́ cantat.
Ille ille cunctis maior honoribus,
Quem nouit ætas omnis, & obstupet
Vitâ styloq́ clarum ab ortu
Solis ad Hesperium cubile.
Ille ille Phœnix qui cineri suo
Fama superstes carpit iter polo,
Latusq́ vulgares, & vdam
Spernit humum fugiente pennâ.

F. Nicasius Baxius Augustinianus Antuerp.

Ad Eundem.

INnumeri postquam celebrarunt FVNERA LIPSI:
ERRANTES MVSAS *Tu reuocare studes:*
Et meritò. quamuis frustra contendimus omnes!
LAVDIS *egens* IVSTVS *non fuit. at nec erit.*
Bis duo si inscribas, mi SWEERTI, *verba sepulcro:*
DIVINVS IACET HIC LIPSIVS; *ah! satis est.*

Gauco Gaukema Frisius
Canon. Aquisg.

MAX. VRINTIVS

IN CL. V. IVSTI LIPSI MVSAS ERRANTES.

ERrantes Lipsi Mvsas à funere Lipsi
Qui legis, & lectas sub sua signa vocas;
Dignus es, ô Sweerti, *cui Lipsia Musa vicissim*
Errantes hederas, pramia digna, legat.

GAVCO GAVKEMA

DE CL. IVSTO LIPSIO.

Vt Virtvs, ita Lipsivs.
Multos æmulos,
Paucos habebit imitatores.
Inuidere, calumniari, contemnere
Pronum & facile;
Paria præstare, non difficile tantum,
Sed vix posſibile.

ELE-

ELEGIA

AD N. V. IANVM LERNVTIVM

DE VRBE ROMA, scripta Viennæ Austriæ.

Et meritò. quoniam immerito deserta puella est.
Hæc procul extremum conqueror ad Tanaim.
Nec mihi iam Musæ, nec prosunt carmina amanti:
Vror, seu currus pallida Luna suos
Iungit: seu niuei sparguntur lumina Solis,
Infelix nullo tempore cessat Amor.
At te, Iane, *tenent æternæ mœnia* Romae,
Illa meæ quondam mœnia delitiæ:
Quæ Tiberis flauo labens interluit amne,
Grata domus Musis, grata domus Veneri.
Illic aspicies vrbis monumenta vetustæ
Si desiderijs duceris ipse meis.
Atque alibi tabulæ capient tua lumina pictæ
Aut ducent animum viuida signa tuum.
Incertusq; Deos videas, an marmora Diûum,
Vt responsuris mutua verba dabis.
Hîc Circus, hîc Curia erat, hîc area Martis:
Tarpæi hic fuerunt templa superba Iouis.
Hîc Mausolæi moles augusta sepulcri:
Hæc est Agrippæ cælum imitata domus.
Et dices lacrumans. In Roma quærere Romam.
Cogimur. Heu æquos dicimus esse Deos?
Quod si forte iuuabit amœnis collibus illis
Fallere iucundis tempora longa iocis:

Hîc tibi ad eloquium, ſunt hinc ad carmina ciues,
Eſt etiam ad lectum candida nympha tibi,
Quæ tibi flexanimo mentem perfundat amore,
Narret & in gremio garrula verba tuo:
Gloria Romanis hæc eſt conceſſa puellis:
Et Venus Aeneæ regnat in vrbe ſui.
At tu ne tibi ſit fallacia credere verba,
Blanditiaſq; auidis auribus imbibere,
Sic quondam ille tuus iuuenili morte Tibullus,
Vmbra leuis campos iuit ad Elyſios.
Lumina ſic oculis Veronæ gloria liquit:
Hæc eſt Romani mors quoque Callimachi.
Aut ſi fortè externa iuuat cognoſcere facta,
Arſit in Hippolyti funera Phædra ſui.
Namq; ego quid referam quæ virtus Herculis olim
Oetoeis moriens rupibus ingemuit.
Omnia qui domuit fatali monſtra ſagittâ
Femineis miſerè fraudibus occubuit.
Munera mittit amans. Quis fallere credat amantẽ?
Induit, & vero pectus ab igne calet.
Non ſic Trinacriis ardet in rupibus Aetna,
Non vicina tuis Malia lympha malis.
Fallax Deianira, mala male credula linguæ,
Præmia quæ ex illo digna fuere tibi.
Vt te depereat, miſerum te perdis amantem:
Nec Iuno hoc voluit, nec tibi iuſsit Amor.
His ô IANE, *tuos monitis moderaberis ignes;*
Sæpe eſt ſolliciti cauſſa puella mali.

AD PETRVM DIVAEVM
HISTORIÆ BELGICÆ SCRIPTOREM.

Elegia in laudem PROPERTII.

DVM tibi ciuilis ſcribuntur bella tumultus,
Et pugnata meæ prælia pro patria:
Atque ita ſim ſaluus, priſcos æquabis honores,
Sint modò ne ſcriptis tempora iniqua tuis.
Nos Veneris iuſſu ſolitos meditamur amores:
Et querimur duræ ſeruitium dominæ.
Sic mihi conteritur ſine fama & nomine vita:
Quid faciam? duris differor imperijs.
Fata iubent & Amor. durum eſt pugnare duobus,
Naturæ obſequitur quâ pote quiſque ſuæ.
Te decet erectas memorare in bella cohortes,
Et cumulata nouis funera funeribus.
Cùm ſua præcipites egit diſcordia Belgas,
Triſtis Muſa meo non facit ingenio.
Me iuuet è dominæ vultu pendere ſupinum:
Et blandis oculos paſcere imaginibus.
Me iuuet & molli carmen deducere verſu,
Galle tuis numeris, ſiue Catulle tuis.
Seu potius docti noua per veſtigia vatis
Cynthia cui quondam cauſſa perire fuit.
Qui primus ſacros hauſit de fonte liquores
Quæ nulla humanis trita via eſt pedibus.

Magne pater ſalue, Romanis nata poëtis
Gloria, concedat Mantua id ipſa tibi.
Tu canis immites media inter pocula rixas,
Cùm queritur læſis Cynthia luminibus.
Tu canis excluſum cum fletu ad limina amantem
Figentem rigidis oſcula cardinibus.
Vtq; tui poſsint dominam corrumpere verſus,
Verſus quos auro ſanctius illa colit.
Felix qui tali pretio mercaris amorem:
Hoc vno liceat me ſimilem eſſe tibi.
Tu canis adſuctos circum tua pectora morſus,
Indicet vt liuor te tenuiſſe tuam.
Et quæ ſub tacita memorantur gaudia veſte,
Cum domina in gremio mollia poma legis.
Felix intacto qui tangis talia verſu,
Hoc licet ipſe tibi Cynthius inuideat.
Hæc olim teretis ludebat muſa Philetæ:
Hæc non ſublimis pagina Callimachi.
Hoc quoque Mimnermo dictabant carmen amores
Iudice me haud ipſa verius Iliade.
Et modò ſi fas alterna me iungere fama,
Nobilis eſt noſtro SILVIA *ab ingenio.*
SILVIA *quæ animi mentem mihi ſurpuit omnem,*
Et vitæ & fati cauſſa ſuperba mei.

IN NATALI

IANI DOVZAE V.N.

ELEGIA.

FEſta dies, bis feſta dies. da thura Camille
Vinaq; Dovsiaco dum facimus GENIO.
Sancte Geni vatum, magno qui primus Homero
Preſsiſti æternis Caniciem foliis,
Et tot inexſtincta ſacraſti nomina fama:
Siue colis Pindi nunc iuga, ſeu potius
Te Batauûm tenet ora, olim quæ ſacra duellis,
Nunc ſtudijs, vatum eſt nobile perfugium:
Proſper propitiuſq; veni. lux illa canetur,
Quæ lucem terris attulit occiduis.
Quale ſacer Phœbi radius diſpellit obortus
Noctiuagæ matris nubilaq; & nebulas:
Talis DOVZA *meus. noſtro decedite vati*
(Et licet Inuidia hoc audiat, & Nemeſis)
Vatum ſæcla vetuſta, & ſæcla nouiſsima vatum:
Par ille antiquis, maior & ille nouis.
Tange lyram; rari conſurget carmen honoris,
Altáque Pindaricis Muſa feretur equis.
Poſce Elegos; molli cantabit digna Tibullo,
Et te, qui Latius dicere Callimachus.
Vis Satyras? illo potuit, me iudice, campo
Antiquis palmam præripere ingenijs.

Siue tuo, quo ſeſe Auruncus iactat alumno:
Siue tuo, vates Appulus an Calaber?
Idem erit, Heroös capitur ſi condere verſus:
Idem erit, innumeros iungere ſi numeros.
Felix ingenij vates. non te mala tangit
Gloria, Bellonæ qua venit à ſpolijs:
Non lucri veſanus amor. te Muſica labra,
Te riui, & ſolæ te capiunt ſilüæ.
Illic aut duros Dominæ meditaris amores,
Aut canis argutâ Ciuica bella lyrâ.
Tu canis. ad cantum properant, quas arida tellus,
Quaſque tenent Nereî cœrula templa Deas.
Plaudit & hinc Panũ chorus, inde ſtupent Tritones
Non ante auditos voce manuq; modos.
Talis in æterno citharam cùm ſumis Olympo,
Cingeris à magnis Delie cœlicolis.
Talis & in ſiluis dum cantat Thracius Orpheus,
Mouit ad ignotos ſecla ferina ſonos.
Ille feras mouit, ſed non & fœmina mota eſt:
Quale paras crimen ô muliebre ſecus?
Orpheus fœmineæ debet ſua funera dextræ,
Nulla dies vobis eluet hanc maculam.
Sed puer huc da thura: exorbito. MACTE GENI *eſto*
Hoc FERTO, *& liquido* MACTE GENI BROMIO.
Et fac DOVZIACAE *ſublimis gloria* MVSAE
Impetret à GENIO, *quod meret* INGENIO.

I. LIP-

IVSTVM LIPSIVM
DIE SVO NATALI AD GENIALE EPVLVM INVITAT
IANVS DOVZA.

NAtalis meuseſt, Sollemni (IVSTE) libello
Te DOVZAE Genius ad ſua Liba vocat.
Ne tamen ignores, quâ conditione voceris,
Accipe quæ noſtræ Formula Legis erit.
Ante meum, quodcunque dolet prius exue, limen,
Cum Laruis valeat gens ſimulata ſuis.
Quid mihi cum rugis, perſonatique Catonis
Schemate? Douziacâ ſint procul iſta domo.
Triſte Magiſterium, & ſcæui Cenſura Metelli,
Siquid & ad Geniuni non facit, ite foras.
In quorum Lepidina locum, Riſuſque ſubito,
Et Iocus, & cœſtus quidquid habet Veneris.
Ipſe tibi Euander fuero; tu quis mihi, ſi non
Gallicus Alcides ille, vel Iliades?
Huc Charitũ te triga, huc & Venus aduocat, & qui
Propoſuit ſiccis omnia dura Deus.
Prora rei hæc, puppiſque: boni ſuper omnia vultus
Accedent, & frons abſque ſupercilio.
HAVTENVS cum *FABRO aderit, LERNVTIADESQ. *Vulcanio.
Noſter, & huic ſocius (quã bene?) VICTOR erit.

Qui cũ Alcide ſuo Bene Ventũ vt gaudeat Hoſpes
Theſeus, imprimis cura laborque mihi eſt.
Scis etenim, queîs nos dapibus, quo acceperit (vnà
Cùm fuimus Brugis) ille, vel ille mero.
Iunge operas, ſtudioque pari enitamur vterque
Mutua promeritis ſoluere vtrique ſuis.
Vt Beneuentani per nos reddantur alumni,
*Brugentes. *Pontanæ Ciues qui prius Vrbis erant.

DE SE NON VATE.

Ad Collegas.

AEthereum cùm fata Iouem ſuper aſtra locarẽt,
Suſciperetq; nouus regna paterna Deus:
Certatim venerata ſuum ſunt numina numen;
Dij varij variis incinuêre modis.
Mars, Phœbus, Majâ genitus, ſua cantica miſcent:
Ille tubam, hic citharam doctus, & iſte lyram.
Sed poſt Cœlicolas, etiam malè ſobria Fauni
Carmina, ſilueſtres & placuêre ioci.
Exemplo magno peccare eſt fas mihi: vobis
Carmine diſpliceam, pectore dum placeam.

Ad

Ad Amicum amantem.

RVrſus amas, lentaq; venis ad iura puellæ,
Rurſus & excuſſum colla iugum ſubeunt.
Non ætas, non Muſa vetat: non tot bona dicta
Aſſiduus priſca quæ legis hiſtoria.
Scilicet hæc fati vis eſt, fruſtraq; labores
Vindicias rupto carpere ſeruitio.
Ah miſer! & ſiquis primo bene pugnat amori
Ille tamen ſeris victor ouat ſpolijs.
Reſpice qui domuit terræ fatalia monſtra,
Reſpice qui cæli, vertice, templa tulit;
Amphitryoniadem prolem Iouis. hunc quoq; Diua
Imperium iußit deterioris heræ
Ferre Venus. non ſtemma iuuat, non inclyta facta:
Victa nec vnius regna ſuperba manu.
Nulla quies miſerum nec pauſa leuabat amantem,
Languet, ſiue alto ſurgit ab Oceano,
Seu Sol Heſperias decliuus purpurat vndas,
Ad ſueti properans gaudia coniugij.
Omnibus ille horis Omphalem auditq; videtq;:
Omphale miſeri delicium eſt animi.
Cura Omphale animi illius pro numine nomen
Heu quoties fractis vocibus ingeminat!
Qualis diua ciet quondam Proſerpina matrem,
Cùm rapitur furui regis ab inſidijs
Ad triſtes Erebi ſedes & pallida regna:
Virgineo mater, mater, in ore ſonat.

Ah fruſtrà, quia matre ſimul cum luce carendum,
Debita coniugiis orci-potentis heri es.

Hic quædam videntur deeſse.

CARMEN EPIDICTICVM

ANDREÆ DAMMIO

v. n. ſcriptum,

Cùm Iuriſconſultus Ienæ renuntiaretur

∞. Io. LXXIII.

ETſi me vario iactatum turbine, DAMMI,
Irritáque expertum inſtabilis ludibria Diuæ,
Auocat à cœtu, triſtis fortuna, Sororum;
Nec dolor ad latos patitur conſcendere colles:
Attamen hoc ſurget carmen tibi. Callida Muſa
Calliope, diuûm atque hominum ſincera voluptas,
Seu iuga te Pindi, ſeu te Parnaſsia rupes
Caſtaliâque tenet iucundum murmur ab vndâ;
Diua faue. tibi creſcit honos. En veſter alumnus
DAMMIVS, *aternis nomen memorabile chartis,*
Victor ouans, ſpoliis & opimo latus honore
Ingreditur, patrijſq́ nouum decus attulit oris.
Qualis purpureo ſublimis Scipio oſtro,
Poſt debellatos Romanis viribus Afros,
Victor agit niueos celſa ad Capitolia currus:

Pa-

Patreſq́ plebeſq́ fremunt. it plauſus ad aſtra.
Illius ingenuum percurrit gloria pectus.
Tale decus, taleſq́ refers de pace triumphos,
O felix animi iuuenis, felixq́ laboris.
Nam quanquã priſcæ ſuperant tibi nomina gẽtis,
Clara per Albiacos populos quam fama perennat:
Tu tamen antiquo generis contendis honori,
Et lucem accipiens, illis reddis quoque lucem.
Tu primùm, vt teneris creuit tibi robur ab annis,
Inclyta Palladiæ aſpiras ad præmia palmæ,
Et ſtatuis magnis non magna exordia rebus.
Acrior hinc te laudis amor rapit. atria auita
Linquis, & externis virtutem quæris in oris.
Sic regina auium, volucres cùm creſcere pennas
Senſit, & incuruos dureſcere fortius vngues:
Liberius ſectatur iter, trepidæq́ parentis
Officium dedignatur, nidiſq́ relictis
Auolat, & liquidâ plaudens laſciuit in æthrâ.
Non Ithace durum poſthac mihi iactet Vlyſſem
Ignotis multum quamuis errauerit oris,
Quà venit exoriens, quà Phœbi defuit ignis:
Sitq́ iter illius, tua dum ſit gloria maior.
Viderit incultos Leſtrygonas ille vel Aetnam,
Cymmeriôn populos, & campos luce carentum.
Te Dubis, Rhodanúſque celer, te Sequana flauus,
Te vidit gelidis in montibus Apenninus,
Annibal infuſo quà rupes fregit aceto:
Te Tiberis pater, & viridi te Mincius vmbrâ

 Obſtu-

Obſtupuit, Albíque ſuos inuidit alumnos.
Hìc tu perpetui pennis ſublatus Honoris
Per Phœbi Charitúmque hortos, per dædala prata
Muſarum, æterna decerpſti fronde coronam.
Non aliter molles Venetus mercator ad Indos
Aut ſeptemgemini penetrans rapida oſtia Nili,
Quicquid Arabs, quidquid mittit Panchaia diues,
Rettulit ad patrios ſpolia inuidioſa penates
Mirantur gazam ciues, Eoáque regna,
Mirantur veſtes, & munera ſquallida ab auro.
Mox te cliuoſa ceperunt mœnia Jenæ,
Quæ Romanarum infudit myſteria legum,
Inſtitiáq; dedit ſacratum ſcandere collem:
Vnde tibi errores hominum, & ludibria vulgi
Deſpuere, & varios fas ſit componere motus,
Inflammare pios & refrenare furentes.
Felix iuſtitiæ munus. date candida ciues
Lilia, purpureaſq; roſas, date thuris honores.
Te, Dea, te cumulem donis, te munere mactem.
Nam tu ſola potes, concuſſi in fluctibus orbis,
Cùm Fas atque Nefas eôdem dignantur honore,
Lexq; pudorq; perit, tranquilla pace iuuare
Mortales. per te quoniam ſua præmia iuſto,
Et ſceleri mala pœna venit. Te terror & vltor
Carcer, & horribili ſequitur mors dira flagello.
Te Virtus comes, & diffuſo Gloria vultu.
Tu ſola æternam capiti das Diua coronam.
Quæ damnoſi expers ſenij, tua tempora, DAMMI,
Ambiat

Ambiat, inſigniq; nitens ſcintillet honore:
Donec ad æquoreis ignotam fluctibus Arctos
Lucida ſidereæ radiabunt ſigna Coronæ.

AD DEVM

Pro Conſtantiâ

PRECES

Fuſæ in graui & diuturno morbo
Anno clɔ. lɔ. LXXIX.
Ætatis XXXII.

CVi mare, cui tellus famulatur, & ignea cæli
Sidera: quẽ metuunt mortalia ſæcla animantũ:
Alme Deus, ſine quo dias in luminis oras
Nil venit, & ſine quo nil exit luminis oras:
Adſpice me quem languor habet, quem tabida vexat
Febris, & exiguam ſuadet ſperare ſalutem.
Annue ne pariter cum corpore mens bruteſcat,
Neu timefacta meum fugiat CONSTANTIA *pectus.*
Certa etenim vitæ finis mortalibus inſtat,
Et cuncti properamus eumdem tangere portum:
Non curſus tamen omnibus vnus. ô ille beatus
Qui vitæ infames ſcopulos & naufraga ſaxa
Feſtinâ potuit præteruexiſſe carinâ!
Quando voles mea Parca, ſequar. non hic terrenis
Impe-

Impedior curis: nec me fucata veneno
Vellera, nec rutilo splendor perstrinxit ab auro.
Sola mihi docta arrisit pellacia Musa.
Hanc quoque sperno libens. tu tantum dîe deorum
Mundi mens aterna & inenarrabile numen,
Suscipe me, & latum meliori in sede repone.

AD

THEODORVM LEEVVIVM

Consiliarium.

MEnsem vnum mihi pollicitus te rure futurũ,
Mensem alium, LEEWI, *te nunc desidero. rerũ*
Seu fidei hæc culpa est, peccato ignoscere possum,
Dum tamen amotis redeas ad seria nugis.
Omnia scilicet ipsi eadem peccauimus olim:
Fallere, mentiri, mentitis deinde colorem
Allinere, & nostri vitijs accedere sæcli.
Haud aliâ fateor, quondam me tangere culpâ,
Aonij fontis qui solus combibit haustus
DOVZA *meus gaudet. nihilo vt veracior ille*
Qui te nunc culpat, caudam trahat. hoc ego de me
Confiteor. pars est morbum nouisse, salutis.
Non idem forsan facient Longinus & Epo,
Alter rabula primus, & alter linea prima,
Qui se consultos Iuris testantur & æqui;
Quos admiratur nutricula causidicorum

Belgica,

Belgica, quos digito signamus, & inquimus, hi sunt.
Nam bona pars Belgæ, si verum quærimus, vrgent
Hoc studium. pulchrum est mergi ciuilibus vndis,
Et leges tractare, forensia noscere Iura.
Hoc Reges facit, hoc Diuis cælestibus æquat.
O pueri, pueri, Iurisprudentia primùm
Discenda est, clamat pallens pater. I bone quòte
Gloria, quò lucri exspectat Deus. hæc pia mater
Vota habet, his radit iuuenilem patruus aurem.
Improbe, tu me tangis? ais, non hercle ego. quanquam
Tu quoque Iustiniani accesti limina. sed cum
More modóque bono. Si quis Cuiacius audit
Iustitiæ interpres. Verus rigidúsque satelles
Iure hunc mirer ego, secter quoque. Mucius olim
Qualis, Sulpiciúsque boni Paullúsque fuerunt:
Cura quibus lites exscindere, non vt nostris
Differere, & longo causſam prod:ucere sæclo.
Qualis tu Longine. sed idem appendere iura
Callidus, & centum cumulos contexere legum
Hoc bellum est, inquis, bellum hoc te iudice? non me.
Iura bonum fateor, sed lites publica pestis,
Nec temere res vlla dedit mortalibus ægris
Plusue datura olim, quàm causſidicina, malorũ est.
Hoc caput, hic fons est, istæc ab origine pendent
Degeneres animi, tantúmque ad iurgia fortes.
Angulus hic meus est, imò meus: ecce tribunal,
Exspectandus erit qui litem finiat, annus,
Qualem docte Meton cultis præscripsit Athenis.

Di maiorum animis ſedes in valle beatâ
Elyſiaſq́ auras, & amœni gaudia campi,
Qui duce Naturâ coluerunt ſponte bonum & ius.
Legibus ignotis, quas miſit Thracia. ſed nos
Nos inſanimus ſollennia. qui mage ego ac tu?
Nempe facis verſus, magnũ hoc & imagine dignũ,
Vt te cum DOVZA *centeſima nouerit ætas.*
Hoc eſt cur palles, cur quis non dormiat, hoc eſt.
Deliro. fateor; ſed tu me iudice peius.
Nempe cupido eadem eſt, tu lucri ego laudis auarus.
Verùm hoc diſtamus, nulli damnoſa cupido
Eſt mea, vel ſi vlli, tantum mihi, quid tua? ſpecta.
Ciues & totas cum ciuibus abſtulit vrbes
Rixandi cacoëthes amorq́ abnormis habendi.
Quid ſi etiam pallor ſeniumq́ idem eſt tibi, quod mi?
Ad galli cantum vigilamus vterque ſecundi,
Tu cauſſas auidus, ſed ego componere verſus,
Fallere tu populos, ego delectare paratus.
Bellum ego verbum aliquod, ſed tu procudere bellũ.
Et dubitas vtrum vexet veſania maior?
Denique concedo, ſit noſtrum inſanus vterque,
Sed mea delectat veſania, quos tua ladit.

AD STELLAM VENEREM

PRO HORTO,
AD IANVM LERNVTIVM
ET
VICTOREM GISELINVM.

ALma Venus, quæ cælorum colis ardua templa,
Quæ maria ac terras vitali ſemine comples:
Quâ ſine nec flores hortos, nec gramina campos
Veſtierint, neque frugiferas animalia terras,
Qúæue ſolum pedibus ſulcant, qúæue aëra pennis:
Tu Dea tu fautrix hortorum in cultibus eſto,
Adſpiréſque meo numen genitale labori.
Nam ſine te nil Flora poteſt, nil flaua Segeſtis,
Nodutíſque herbæ pubenti optabile numen.
Pelle malum virus à floribus imbricitorq́
Ne noceat Aquilo, neu grando, neu robigo,
Effice. diua potes. Solíſque Lunaq́ poteſtas
Te ſuperà. ſed conſenſu tua tertia regna.
*Nec * tibi Mercurius certauerit, aut tibi Mauors:* Ad clariorem ſtellæ Veneris hæc referenda.
Ipſe tuo faſces ſubmittit Iupiter igni.
Intereà, dum nos fera mœnera militiai
Exercent, lituíque vocant ad ciuica bella:
(Patria da veniam) Hauteni ſecurus in hortis
Ipſe habitem, fallátque meos cultura dolores.
Non ego Bellonæ ſim victima, non ego Marti

Miles: naſcentiq́ alius mihi riſit Apollo.
Sat patriæ Belgiſq́ datum, ſi fama Camœnæ
Noſtræ erit, atque aliquis venienti LIPSIVS *auo.*

IN NVPTIAS

VICTORIS GISELINI.

O Columen patriæ, ô Belgi lux vnica noſtri
VICTOR, *in optato te diua Salacia portu*
Iam locat, & tutam firmant retinacula nauim.
Iam bona nox oritur, iam Veſperus affulgeſcit
Diu ſperata ferens genialis gaudia lecti.
Hymen ô hymenæe, hymen faue, ô hymenæe.
O decus eximium nuptis nunc, antè puellis
Iam voti damnare, & damnetur quoque mater.
Præſeſt illa dies tota quam mente petiſtis,
Qua digna coniuncta viro connubia læta
Concelebres, velentq́ tuos noua flamea vultus.
Hymen ô hymenæe, hymen faue, ô hymenæe.
Coniuge te virgo digna, & tu virgine coniux:
Alter Muſarum, Charitum decus altera: & ambo
Præſtantes animi, præſtantes corporis ambo.
Iungite felices dextras rumore ſecundo,
Iungite, flexanimo perfuſi pectus amore.
Hymen ô hymenæe, hymen faue, ô hymenæe.
Nulla ætas meliore iugo commiſit amantes:

Nullus

Nullus amans vnquam tantum inſaniuit amorem,
Nec ſic falſiparens Oetæo exarſit in ocri,
Nec furor Empedoclis Siculam delapſus in Aetnã:
Quantus amor Caium, & Caiam quantus adurit.
Hymen ô hymenæe, hymen faue, ô hymenæe.
Fallor? an ancillatur nox tibi? non ego fallor.
Et ſolito citius Phœbum deceſſe ſorori
Contuor, & ſubitis calum prætexier vmbris.
I bone, quò tua te coniux vocat. hoc licet ipſa
Diſſimulet, licitoq́ etiam nunc pugnet amori.
Hymen, ô hymenæe, hymen faue, ô hymenæe.
Ite agite, Herculeo connectite brachia nodo,
Ludite, & inſomni noctem traducite ſomno,
Feſtis motibus & gannitibus alternantes.
Sic Venus ipſa iubet: Veneris ne ſpernite numen
O pueri, grauis eſt dea. ſed vos dicite mecum
Hymen ô hymenæe, hymen faue, ô hymenæe.

Inuitatio ſermone pedeſtri

AD

VICTOREM GISELINVM.

SI potes ad tenuem conuiua accumbere menſam,
Qualem Socratici mihi præſcripſere libelli,
Cras, medio te Sole domi, GISELINE, *manebo.*
HAVTENVM *tecum cum* DVZA, LERNVTIOQ.

Hunc Batauæ, hos Latiæ ſpẽ præſidiumq; Camanæ.
Tres animas, quales non Phœbus candidiores
Illucet, neque quos faciunt duo numina pluris
Vera Fides & Amor. Quiduis impunè licebit
Garrire, & mediis diffindere ſeria ludis.
Non aliæ accipient commiſſa fidelius aures.
Tu tantum ante meum quidquid dolet, exue limen.
Mitte graues curas, mitte & noſtratia bella.
Quid Grudij faciant, à peſte an ab hoſte laborent,
Quoſque nouos fluctus Turcis incogitet Auſter
Heſperius, quas inſidias cui ſtruxerit vrbi.
Hæc Deus, & patriæ melior fortuna videbit,
Et noſter (trepidæ cui rerum tradita habenæ)
Conſilio Fabius, factis animíſque Camillus.
Nos agitare iocos conuenimus: hæc mihi menſæ
Lex erit, vt totâ non ſit frons ſeria cœnâ.
Hoc tantum ius eſt, intergarrire vetuſtum
Carmen, & Hiſpano Plautum miſcere Poëtæ;
Qualia Dovza *meus, vel tu,* Giseline, *ſoletis.*
Cetera quæ dicat triſtis cenſura librorum
Turnebi, an Scaligeri deliret acumen
Scriptis Varro tuis: veteri fuligine codex
Quid ferat, & qualis quoquo ordine littera peccet
Forſan videro cras. nunc hoc, ne ſordida mappa
Conuiuam offendat, maculæ ne lancibus atræ
Hæreſcant, potius quàm Plauti verſibus, angor.
Non capit has nugas hodie domus, vnus in hoc ſum
Conuiuis, ſit me conuiuatore, beatè.

AD

AD

GERARDVM BVITEVVEGIVM.

cùm titulo & honore Iuriſconſulti inſigniretur, Gratulatio.

Vnde mihi veteres iterũ in noua carmina vires?
Quis Deus aut dea ſufficiet? tu cãdide diuûm,
Solus Amor. ſed purus Amor: non ille Dionæ ✕ Veneris
Progenies, ſed quem ſociali fœdere Virtus
Atque Honor in iuncti genuerunt limine templi:
Gratia cui nutrix, roſeóque Modeſtia vultu.
Hic mihi det carmen: tu carminis argumentum
Bvitwegi, *ſacrâ redimitus tempora lauru.*
O iuuenis dilecte Deo, dilecte parenti,
Et patriæ ſpes certa tuæ! qui ætate triumphas,
Quâ reliqui vix bella gerunt. Pompeius honorum
Feſtinus, celſos Eques ad Capitolia currus
Egit, & hæc meruit cognomen gloria Magni:
Gloria ſed bellis, ſed cæde & ſanguine parta.
Longè aliud tibi laudis iter. tu prima iuuentæ
In ſtudijs virtutis, & in ſtudijs Muſarum,
Conſumis ſpatia, & bellas imbellia bella:
Felix iudicij pariter, felíxque laboris.
Nam velut in noſtris quæ populus albicat oris,
Vicinum complexa amnem, mirante ſatore
Creſcit, & in purum caput effert ardua cælum:

Sic

Sic ſuperas diſcendo & ſpes & vota tuorum,
Aequaeuoſque alios longè poſt terga relinquis.
Sed tunc Pïeriæ tantum ſub pectore curæ,
Mox Themis interuênit, & ad ſua caſtra vocauit,
Diuerſumq́ induxit iter. nec deſide paſſu
Tu ſequeris, Muſaſq́ tamen flectendo reuiſis.
Mira fides! nondum plenæ tibi ſigna iuuentæ
Vmbrauêre genas, & adhuc nitor integer oris,
Iámque ad præſcriptæ veniſti candida metæ.
Quis Deus euexit? PIETAS, *quæ priſca per omnem*
Interfuſa domum. talis matérque patérque
Atque auus & patruus, nec poſſum dicere frater.
O tua ſi tali ſignetur patria laude!
Ante omnes mihi cara vrbes & clara fuiſſet.
Noluit, & liquidum temerauit ſordibus amnem,
Et Rhenum non paſſa ſuo iam nomine dici.
Atra lues, funeſta lues! quæ numina calcas,
Quæ vitam moreſq́ hominum mentéſque venenas,
Quæ Furias Martémque cies. Quòd Gallia triplex
Ardet, & ignotam ſuſpirat languida pacem,
Oppida quòd flammis, homines quòd cæde perimus,
Quòd malè barbaricis Europa exponitur armis,
Hoc tibi debemus. Sed quo trahor? iſta dierum
Læta amat, & plauſu tantùm feſtíſque canenda
Vocibus. Hoc fiat. Sit felix, ſit tibi fauſtus
Iſte honor, & gradus ad maioris culmen honoris.

IN NVPTIAS

IANI BERNARTI I. C.

ET

CATHARINAE BREVGELIAE

Gratulatorium.

PIERIDES quondam cultæ mihi, verba præite
Verſibus, & liquidum defundite gutture carmẽ.
Muſa Venuſq́ volũt. iubet altera, & altera Diua:
Muſa quidem ſtudioſa viri, Venus ipſa puellæ,
Quis nunc ſolennes thalamos Hymenæe paraſti.
Nam venit illa dies Parcarum condita fauſto
Vellere, quo IANVS CATHARINAQVE *fœdera iungẽt,*
Fœdera perpetuum manſura, manentibus ipſis
Quæ nulla poſſint violare aut ſoluere luces,
Quæ nulla poſſint violare aut ſoluere noctes,
Excipio te NOX *æternum continuanda.*
Surge, age, mi Vates, Muſarum cultor, & idem
Eunomiæ, at voti tandem ſatiare petiti.
Illa tua eſt. curas licet & ſuſpiria ponas,
Frena momordit amans, ſubijtq́ iugalia vincla.
Talis in Eurydices complexus Thracius Orpheus
Venit, & exſtinxit quos ſuſpirauerat ignes,
Molliter alternis & carmen & oſcula pangens.
O iuuenis, cui Dij certatim dona tulerunt

Naſcenti, creſcenti, ad culmina conſcendenti
Fortunæ! & tantum Liuor neget. En tibi Iuno
Quàm faueat, qualem dederit, qualiq́ parente!
BREVGELIVS *pater eſt, iuris legumq́ peritus*
Arbiter, & magni pars idem magna Senatus.
Vir quo nec Probitas probior, nec iuſtior ipſa
Iuſtitia; & Græco par Romanoq́ Catoni.
At tu virgo etiam, ſtirps ô mea, tu quoque gaude,
Jam tali iungenda viro. quem Muſa benigno
Excepit fouitq́ ſinu: quem Iuppiter, omnes
Corporis atque animi dotes largitus, honeſtat.
Hoc fruere, & ſtantes vitis velut implicat vlmos
Auxilium fulcrumq́ ſibi, complexa maritum
Stringe. licet tenerum nunc ablegare Pudorem:
Lex, ritus, matérque volunt. ô ſi mihi coram
Hæc fari, & tenui fas inſtillare ſuſurro!
Fata negant: aliter te ſponſe & ſponſa viderem.
Te quoque, qui noſtris ſpes vnica & vltima rebus
ERNESTE *Auſtriadũ, properas, decus: almã Deorum*
Progenies, idemq́ Deos aliquando dature,
Omnia ni noſtra docuerunt vana ſorores.
Sed propera. Ventis feruet mare, mergitur vndis
Hæc ratis, atque omnis laterum compago fatiſcit,
Ni veniens, nimbóſque fugas Solémque reducis,
Cumq́ tuo ZEPHYRO *iam ſpiras mitior* AVSTER.

De auguſtiſsimo S. EVCHARISTIAE SACRAMENTO.

SALVATOR *dapibus* (*i. diſcipulos*) *comites paſturus opimis,*
Sancta ſubit Solymûm regalia mœnia, & illic
Cæleſtes diſpenſat opes, validóque precatu
Viuificum Cererem in corpus calicéſque Lyæos
Sanguineum in flumen vertit, ritúque celebri
In comites ſacra membra ſuos partitur, & alma
Accipitote, animis animarum pabula: noſtrum
Hoc corpus, cruor hic viuo eſt de corpore noſter,
Regia, qui ad Superos recludet limina, quique
Eluet afflicti commiſſa piacula mundi.
Id quoties facitis, (fieri nam ritè iubemus)
Sanguineos ictus memorate ac tabificum fel,
Liuoréſque graues, Superûm quos in cruce Rector,
Rector ego accipiam, atque dapes ſic ſumite noſtras;
Sumite, & ad ſeros imitandum ferte nepotes.
Salue triticeâ occultum ſub imagine corpus,
Care Redemptoris ſalueto è corpore noſtri
Riuule promanans, CHRISTI *præſtantia viui*
Viſcera ſaluete, in ſacra eſurientibus eſca.
Inclyta perpetuo ſunt digna chariſmata cultu,
Victima ſacra, & fercla thymo mage odora ſuaui,
In quibus Elyſij ſumuntur pabula regni.

In feminam famosam.

E Græco.

DIc mihi, cur olim proiectis Marſpiter armis.
Vulcani in thalamos irruis & laqueos?
Hæc eſt vera Venus. nunc fas eſt, indue vincla
Quæ tibi de ſuperis quilibet inuideat.

AD BELGICAM
A
LVDOVICO GVICCIARDINO
deſcriptam

SCAZON.

EVROPAE ocelle, Galliæ inclytum ſydus,
Tot inſulis peninſuliſq; diſtincta
Amœna BELGICA, *oppidiſque turritis.*
O BELGICA *antè flos decúſque terrarum,*
In quâ ſuperbiebat vnica Pallas,
In quâ nepos regnabat vnicâ Atlantis;
Nunc ciuico proſtrata turpiter Marte:
Gaude miſella, & pone lugubrem veſtem,
Honoribus recenter aucta diuinis,
Quos tibi parauit Italæ decus terræ,
Etruriæq; ſtella GVICCIARDINVS:

Amor-

A morte qui te vindicauit, & nigræ
Obliuionis liberauit à fato.
Ille oppida, ille ſcribit adſitos pagos;
Prouinciíſque limites duit certos,
Septemdecim qua diſparantur in partes:
Fluuios, lacúſque, & ſalſa templa Neptuni,
Reges, dynaſtas, & reciprocos caſus,
Et quidquid audent fata rebus in noſtris.
Tu Diua tali macta, macta, ſcriptore,
Aeternaque illo: donec aſtricos ignes
Ducet reducet currus humida matris.

AD
IANVM HAVTENVM
De verſione eius Plauti.

BElgarum decus & Bataua Siren,
Noſtrarum pater elegantiarum,
HAVTENE, *vnice & vne mî Sodalis.*
O quàm nos lepidâ tuâ Camœnâ
Oblectas reficíſque, dum Latinas
Transfers ad patrium ſolum Camœnas!
Et Plauti numeros ſolutiores
Verbis & numeris ligas Batauis,
Quod hæc atque alia inuidebit ætas.
O ioci Veneréſque, ô Atticorum
Conditæ ſale collocutiones!

Vis verum tibi dici amice? dicam,
Te viuo pariter sales Batavi
Vivent, & pereunte te peribunt.

De frigore inimico Poëtis.

AVspicijs IANI *duplicis dum scribere versus*
Cogito, DOVZA *tuis, & noue* IANE *tuis:*
Obstitit incœptis Saturni sidus, & omnis
Crystallo tegitur amnis, & omnis humus.
Conglaciastis aquæ Heliconidas. ite Poëtæ,
Nulla leuat vestram Castalis vnda sitim.

IN PETRONII ARBITRI AC PRAECIDANEORVM IANI DOVZAE editionem.

EN PETRONIVS, *Arbiter Lepôrum,*
Et salsus pater & salax iocorum:
Quos nouit Latium, vetúsque Roma,
Pœdore obsitus impolitiáque
Dudum, nunc melior politiórque
In nouam properat venire lucem.
Non quidem Magicâ recoctus arte,

Sed

Sed DOVZAE *medicâ recoctus arte.*
DOVZAE, *qui veterum arbiter Lepôrum est:*
DOVZAE, *qui pater elegantiarum est.*
At tu nostra faue & caue iuuentus,
Merum mel latet hîc, latet venenum:
Probis mel merum, at improbis venenum.

EPITAPHIVM FRANCISCI MARTINI mortui Neapoli.

HEus oculo errante qui loci tesqua hæc aspicis,
Consistere hîc te paullulum Musæ iubent.
MARTINIVS *ille flos iuuenum quot fuerunt,*
Quot nunc sunt, quot futuris erunt in seculis,
Doctus, eruditus, ipso in Musarum sinu,
Istîc reliquias deposuit corporis.
Lugete Musæ Latiæ, & Musæ Galliæ,
Et quidquid vsquã est hominũ qui Musas amant;
Vester ille Vates & vestri chori decus
Florente cùm æuo Famæ currum ascenderet
Morte captus abijt in communem locum.
Sic DI *voluistis, Homines nullius pretî,*
Bucos blennones vitam vitales frui.
Vates ferè ante vitam vitâ interfici.

AD

AD IANVM DOVZAM

ODE

Commendans otium.

NOn ſemper tumido mari
Inter caruleos greges
Inter fluctí-vagas Deas
Tendunt carbaſa nautæ.
Non ſemper rapido feras
Curſu perſequitur Dea,
Quæ luſtra & ſilüas amat
Flauo Delia crine.
Tu nullam ſtudijs tuis
Pauſam ponere pertinax,
Vrges Pierios modos,
O vepallide DOVZA.
Non ſic Scipiadæ genus,
Nec Læli ſapientia
Qui docti grauibus leues
Inter-ponere curas.
Illos ad mare lubricum,
Qua Lucrina ſonant freta
Omnis Nereidum chorus
Vidit ludere conchis.
Ergo deſine perpetis
Iam tandem ſtudij, & modum
Exemplo ſapiens meo,
Aude ponere Muſis.

VERTVNNVS CVSTOS

AD HOSPITEM.

DVas res agere ſimitù decretum eſt mihi:
Et horti leges, & meum nomen eloquar.
Adhibe hoſpes, ſis, vaciuas ædes aurium.
Primumdum mî eſſe nomen Vertunno ſcies,
Qui clarus clueo Semones inter Deos.
Namque Imperator diuûm atque hominum Iupiter
Nos cæli ciues in tres claſſes diſparat:
Sunt Superi Di, ſunt Inferi, & Medioxumi.
Hos alios alia fungi iuſſit munia;
Mihi ceſſit hortus. hunc colo, atque iſtinc malas
Lauernionum cum cura arceo manus.
Sic hominum vſu mea pro parte ſeruio.
Velut huc nunc hortus, quem factum'ſt biennium
Poſtquam meæ tutelæ herus concredidit,
Me venerans, hunc introitum vt ſeruarem ſibi:
Néue adeò quiſquam ſine grandi & ſolido malo,
Præquam lex patitur, hortum frueretur ſuum.
Eam legem ego dabo, nequi peccet inſciens.
Principio edictum'ſt leuiter dictis bonis,
Ne me Iuſtum iniuſtus quiſquam iniuſtè cogitet,
Quod promiſcam omnes, ſerui ſint an liberi,
Dites inopéſque ab aditu volt arcerier,
Præter Muſarum qui initiati ſint ſacris.
Id adeò honori Muſarum placitum dari,

Quarum hortus hic mancupio eſt, cuſu tantùm heri.
Quod tu aliter adire ſperes, nugas egeris:
Ego ſum VERTVNNVS, *omnes cverto & arceo.*
Primum hoc tenebis, nunc intraſtin'? optimè eſt.
Licet ambules hîc per quadrata compita,
Modò ne tranſcurrens cvelut hœdus laſciuias:
Licet acquieſcas compluuiata in pergula,
Modò ne ocquiniſcens ſomno fœde indulgeas.
Viden' hos melones mel & delicias heri?
Bonum factum eſt, tacitus ſpectes, tacitus gaudeas.
Nam quod ſurripere quidquam tute poſtules,
Fruſtrà es: nihil eſt hic prada prædatoribus.
Ne ſi malè tagax quoquam adieceris manum,
Malum habeas certum, pol, non arbitrarium,
Et tibi pro flore pignus capiatur toga.
Satis hoc cviris edicto dictum deputo:
Nunc res mihi cum matronis. hem quid excidit?
Non res ſed cverba, ne tu mœchum cenſeas.
Primùm matrona ſine marito exeſtod hinc,
Ita placet Muſis, Græcam conſuetudinem
Græca reducunt, mulier ni qua in publicum
Spectandam ſe ſine arbitro præbeat cviro.
Deinde autem cvos ſummates atque nobiles
Quæ ſyrma à tergo trahitis ſeptenûm pedum,
Mala peſtis, mala pernicies horti, abſcedite,
Aut tragicam cveſtem ſupra femur attollite.
Quid eſt? factura hoc eſtis, an non? abnuunt.
En hercle cvt huius ſæcli mores poßident!

Videri

Videri nolunt: quid ſi tangi? cvltrò annuant.
Iam cvos puellæ blandæ, delicatulæ,
Nigriculæ, tenellulæ, integellulæ,
Quas Dominus aduentantes limis adſpicit,
Vobis edico, ſolæ cvt ne intretis huc.
Nam dicam ingenuè, noui cvos merces malas:
Quarum cvna ratio eſt, ſteriles intro ad nos manus
Quas attuliſtis, grauidas portetis foras.
Quòd ſi qua comitem amatorem huc adduxerint:
(Namque omnes norunt, credo, noſtræ cvirgines
Quàm liberè iſtiuſmodi rerum ſient)
Moneo nil præter cverba inter ſe cvt miſceant,
Neu capita liment, ſolitis morſiunculis
Et his papillularum oppreßiunculis
Abſtineant: non eſt his nugis noſter locus.
Poſtremò canem aut catellam huc nulla adducito,
Melitæi ſint, Sardoi, cvel Moloßici.
Sin aliter, faxo delicata cvt accúbes
Non herclè mecum aut cum hero, ne fruſtra ſies,
Sed cum Catello, ſcin' quem dicam? ferreo.
De lege tantum eſt: cvir, matrona, cvirgines,
Bonum factum eſt, edicta cvt ſeruetis mea.

AD IANVM DOVZAM,

De pudica femina Basileæ, quæ xv. annos in coniugio vixit viri, non viri, sine querella.

IPSA LOQVITVR.

PAssa thorum, non passa virum, Lucretia nostri
Aeui ego, postgenitis nobilis historia:
Quæ virgo & matrona simul, tria lustra peregi
Nupta, innupta simul: semiuiri atque viri
Coniugium tenui, cuius languentia membra
Non Venus adspexit, non ruber ille Deus.
Sed tacui, atque tuli. non hanc vicina querellam
Audyt, aut frater, aut pater, aut genitrix.
Heu, male pro meritis tribuuntur præmia famæ!
Alcestim exoriens Sol scit, & occiduus:
Solam me Basilea. sed est, me iudice, maius
Semper ab igne vri, quàm semel igne mori.

AD IANVM HAVTENVM,

Non esse aptum se Belgicæ Musæ.

HAVTENE Vates, vatis interpres sacri
Idemq; iure Belgica Princeps lyræ,
Quò me remotos abripis tecum in locos?
Quæ nemora, quod lustrare me iubes iugum?

Quà

Quà nulla Vatum trita semita est solo.
O parce, parce. non profano vertici
Debetur ista laurus: hanc olim tibi
Pernassi ab ipso detulit Phœbus iugo.
Qui primus ausus fila Belgica chelys
Mouere plectro, & à bicorni vertice
Nouem citare, ad stagna Thetyos, Deas.
Quod inuidebunt hæc & illa sæcula.
Tua, ô tua istæc laus: ego quid nisi iocum
Risumq; nautis debeam & cauponibus?
Fallace vt olim cecidit ales Icarus
Pennâ leuatus: frustra sic famam noui
Et carmen omnes amulemnr Pindari.

IN

EPISTOLICAS QVAESTIONES

Ad Lectorem,

dum annum ageret xxix.

SI quisquam est, qui probari se cupiat probis,
Oratione, vita, scriptis denique:
In his audacter nomen profiteor meum.
A puero eductus, doctus, liberaliter;
Mores maiorum simul & doctrinam institi.
Amico amicus, beniuolenti beniuolus,
Ingenua frontis, oris & cordis probi,
Ad gloriam grassatus verâ sum viâ.

Nec

Nec ego iſtos mores nôui ſæculi noui,
Suſpicioſos, fraudulentos, duplices:
Qui fronte hilaro, corde triſti obambulant;
Qui gaudent, ſiquid alteri euênit mali;
Qui mœrent, ſiquid alteri euênit boni.
Quos placitũ eſt, laudãt, quos placitũ eſt, vituperãt:
Verône an falsò, cicum non interduint.
Procul hæc à nobis. edepol haut dicam dolo,
Tales inimicos mî, quàm amicos malui.
„ *Placet vera Virtus.* „ *Virtus rebus omnibus*
„ *Anteit profectò. non peribit, cùm perit,*
„ *Quem penes eſt Virtus. Virtus' ſt immortalitas.*
Poſtinde cùm iam flos ætatis ſurgeret,
Et ſpatia extrema ingrederer adoleſcentiæ:
Magis magiſq́ impendiosè litteras
Amare occœpi, aſſiduus legere, ſcribere.
Cùm intereà, vterque demoritur parens, loci.
Ego hanc occaſionem ad ſtudium Muſicum
Eſſe ratus, concepi iter ad oras Italas,
Germaniamq́ in terram, & terram Galliam
Quaſi ad mercatum litterarum pergere.
Concepi, perfeciq́. Dis eſt gratia,
Lætitiam peperit, parietq́, hic mihi labos.
Deinde autem ſcripſi ſcripta diuolgata ſunt
Amicûm ſuaſu, non meapte audacia.
Tamen, vt nunc res eſt, haut me fama pœnitet.
At vos fauete, & date creſcendi copiam
Ingenijs quæ ſe publico applicant bono.

Si

Si nullius famam vnquam læſi per iocum,
Si nullius ſublegi ſcripta per dolum,
Neque lites vllus vnquam aut pugnam cœpij:
(Nec id qui faciunt, dico palàm, mihi placent)
Æquum eſt ab æquis me par impetraſſere.
Ab iniquis porrò, haud æquum eſt, æqua poſtulem.
Valeant iniqui, & mali habeant magnum malum.

I. MEDICINA.

Sum MEDICINA. *meum eſt homini depellere mortem.*
Dicite: non ſanum viuere, nonne mori eſt?

II. RES HERBARIA.

Hæc Deus & melior rerum Natura creauit,
Fidaq́ ſunt artis ſubſidia iſta meæ.

III. ASTROLOGIA.

Nec tellus ſatis eſt. cælum peto, ſidera ſcrutor.
Scilicet in terris ſum Deus alter ego.

IV. ALCHIMIA.

Elicio ſuccos varios, medicoſq́ liquores.
Quis credet? pumex & mihi prabet aquam.

V. ANATOMIA.

Membra ſeco, humanoſq́ oculos defigo per artus
Omnia ſunt animo peruia nempe meo.

VI. NATVRA.

Hactenus ars. Natura artem iuuat: illa benigno
Largita eſt homini munera dia ſinu.

ARA

ARA ET VOTVM PERENNITATI

in natali IANI DOVZAE,

Poëtæ vnici.

HVC *ades Puer, huc* STRVEM *atque* FERTVM;
Verbenam hîc mihi pone, & hîc acerram.
Sacrum conficio PERENNITATI:
Votum concipio PERENNITATI:
Luce hac, qua mihi natus est Poëta,
Antistes meritò omnibus Poëtis,
Quos vidit pater, aut nepos videbit:
Triplex Gallia quos tulit, feretq́;.
Præ quo MANTVA *non amet* MARONEM,
Non vrbs asita Gallicum CATVLLVM,
Non Tagi vetus ora MARTIALEM.
Tres qui carmine triplici Poëtas,
(Sed pudor prohibet) lacessere ausit.
At tu principio carensq́; fine,
Seclorum Dea Temporumq́;, famæ
Aeternæ dator vna, & vna ademptor,
MACTA *hoc munere,* DIVA, MACTA VINO:
VINO *hoc* INFERIO, *pioq́; thure:*
Et fac vt Genius mei Poëtæ,
Et felix labor, & libri Poëtæ,
Plus vno maneant perennia auo.

AD

AD PETRVM ORANVM I. C.

PETRE, *iuris & elegantioris*
Musæ candide cultor, & sacerdos;
Quem ni sic amo, vt hos meos ocellos,
Atque vt tu geminos tuos puellos,
Iupiter mihi perdat hos ocellos:
Quando ad me venies, meosq́; flores?
Namque & gestio ego ipse te videre,
Atque illi mage gestiunt videri.
En Sol purior hic, & aura veris;
Pinxit, vt Babylonicum tapete,
Nostras areolas. veni, videbis,
Gaudebis quoque. namque pars eorum
Herculi vt decimæ, tibi sacrata est.
Ecquid te traho? sed veni. peribunt
Illi, ni properas, tuumq́; donum.

IN

CAROLI CLVSI ATREBATIS

Historiam stirpium,

PER

Pannoniam & Austriam.

QVi solus veterem nouamq́; Floram,
Et solus veterem nouamq́; Hygeîam
Pernouisti, & ad intimos recessus

G Natu-

Naturæ penetrasti, amice CLVSI:
Qui quod noster habet, quod alter Orbis
Solus mente capis, stilo recludis:
Quàm nos Pannonici tui labores
Iuuant! Pannonicas quibus per oras
Herbarum agmina mille, mille florum
Sedulus legis, & legenda nobis,
Nec legenda modò, sed & videnda
Istoc porrigis in breui libello,
Docto, Iupiter, & bono libello!
Quem qui non amat æstimatq; Lector:
Non amat veterem nouámque Floram,
Non amat veterem nouámque Hygeîam.

Ad CLVSI nomen lusus.

Omnia Naturæ dum, CLVSI, *arcana recludis:*
**Quo nomine Apollo priscis dictus, ab aperiendo.* CLVSIVS *haud vltra sis sed* * APERTA *mihi.*

AD COLLEGAS SVOS EXCVSATIO.

SOdales lepidi, vtriusque linguæ
Cultores, quibus hæc & illa Musa
Frontem non moriente fronde cingit:
Sit vestras mihi fas semel migrasse
Leges, nec solidos dedisse versus
Bis senos. vetat hoc stupente cælo

Obor-

Obortus stupor, & negat calorem
Mens admittere lenta Apollinarem.
Morbum huc addite, & addite huc veternum
Cum morbo simitus mihi molestum.
At vos parcite: sic bonæ Camœnæ
Aetatem faueant, Perennitasq;
Vestras perpetuet volens Camœnas.

Ex libro III. Antiquarum lectionum.

CAP. I.

ESte procul curæ, durum genus, este labores,
Tristis vita meo non facit ingenio:
Me iuuet è dominæ vultu pendere supinum,
Et blandis oculos pascere imaginibus:
Me iuuet impositos mecum languescere flores:
Tu puer huc plenis adde merum cyathis.
Ter tibi sancte puer, tibi ter sit mater Amorum,
Bis tibi ter casto sit mea Laura mero.
Qualis si vitæ ratio mortalibus esset
Incinctis viridi molle caput strophio,
Non ferrum, non arma essent: nec corde micanti
Audisset trepidas pallida virgo tubas.
Nec totiens propriis à ciuibus oppugnata
Soluisset crines Gallia mœsta suos.
At tu, si sapis, hos fructus decerpere vitæ
Elige, & austeris pone modum studijs.

Nam veluti à tenera rosa virgine delibata
Languida collapsis deseritur foliis:
Sic nobis dubia rapiuntur gaudia vitæ:
LIPSI, *cras serum est vivere, vive hodie.*

IBIDEM.

ESte procul Nymphæ, fallax genus, este puellæ;
Vita soluta meo non facit ingenio:
Me iuuet in priscis positum pallescere chartis,
Et variis animum pascere ab historijs:
Me iuuet adpositos mecum languescere lychnos.
Tu puer huc plenis funde merum cyathis.
Ter tibi Calliope, tibi ter sit præses Apollo,
Bis tibi ter puro pura Minerua mero.
Qualis si vitæ cursus mortalibus iret,
Incinctis lauri triste caput foliis,
Non crimen, non noxæ essent & fraude remota
Simplicitas niueis prisca triumphet equis.
Externis totiens nec ab artibus expugnata
Soluisset zonam credula virgo suam.
At, tu si sapis, his curis impendere vitam
Appropera, & leuibus pone modum studijs.
Nam velut hæc folia aridulam spreuere corollam,
Quæ temere immensam lapsa natare vides:
Sic nobis dubia labuntur tempora vitæ;
DEINI, *cras serum est discere, disce hodie.*

IBIDEM.

HAs inter epulas litteratum si mihi
Fortuna conuiuam duit:
Non me Syracusana fercla iuuerint
Magísue Apicij dapes,
Neque catamiti nectar oblatum manu
Iniuerit ventrem meum
Iucundius, quàm melo si vepallidus
Detur meæ cœnæ caput,
Vel Cynara tristis, Italæue brassicæ
Belgis meis flos insolens.

A. DEINII Tumulus.

(*Musæ.*

QVis tumulus? DEINI. *quæ circum hæc agmina?*
Quæ mulier? puris Simplicitas manibus.
Qui corpus? Charites. animum finxere? Lepôres.
Quis dedit in cineres tot bona? Parca dedit.
Musæ, Simplicitas, Charites, lugete Lepôres,
Mortuus est vestro DEINIVS *exitio.*

In Grammaticam ANTONII CAVCII.

QVod Scaurus, Caper, & Probus, Palæmon
Dum formant animos rudi iuuentæ,
Olim multiplici dedere scripto:

En paucis tibi chartulis Apelles
Pinxit noſter: habe, & faue iuuentus.
At vos Grammaticæ leues cohortes,
Inflatum genus, hordeóque paſtum,
Cum ſceptris ferulíſque abite veſtris,
Et decedite CAVCII *libello,*
Qui veſtros pedibus trahit libellos?

AD PERILLVSTREM

MARCVM VELSERVM

II. virum Auguſtæ Vindelicæ.

MARCE, *diſpeream, niſi inter omnes*
Quos amo, te ego amo. idq́; iure: ſiue
Virtutem videam tuam, aut amorem.
Virtus, Solis ad inſtar: illa lucet:
Nec tuæ modò Rætiæ, ſed omni,
Quàm lata eſt, Alemanniæ, & propinquæ
Galliæ, Italiæq́;, Iberiæq́;.
Addámne ipſam Aſiam? addere hanc quoque auſim.
Et ſplendor tuus ora inhoſpitalis
Ponti percutit, ipſáque vrbs Byzantis
Te nouit ſimul & colit merentem.
Quid iam porrò ego debeo? qui amorem
Tam largum mihi candidúmque defers.
Certè debeo, quod nec vlla lingua,

Quod

Quod nec concipere ipſa mens potiſsit.
Ergo me tibi ſiſto mancipandum:
Et habe tibi, quidquid eſt, erítque
IVSTVS LIPSIVS, *hoc ab æuo in æuum.*

AD IANVM DOVZAM,

De promiſcuo iuuenum & virginum luſu apud Batauos in glacie.

DOVZA, *quem genitum atque humi cadentem*
Excepêre ſinu nouem Sorores, ℣. Muſæ.
Formarunt manibus ſuis Lepôres.
Ride, quicquid amas, tuum Poëtam,
Qui ſpectacula Leidâ in vrbe, nuper
Cum pigrâ glacie ſtetiſſet omnis
Et cruſtam ſubitam induiſſet amnis,
Vidit, qualia non ſuperba Roma,
Non ſuis ℣. Sparta *Lacedæmon in Palæſtris.* Lacedæmonii enim erudiebant juuentutem nando, currendo, algendo &c.
Namque illinc ſoleas ſecante ferro
Suppacti iuuenum chorus volabat;
Hinc veſtigia iuncta, ſed minora,
Implexæ manibus premunt puellæ.
Tales credibile eſt, iacente PONTO,
Olim NEREIDVM *fuiſſe luſus.* ℣. Nymphæ æquoreæ. Wasserfräulein oder Meergöttinnen.
O ſpectacula pulchra, & ô beatos
Iſtos delicijs nouis ocellos!
Ite ludicra priſca, abite nugæ,

MIMI,

MIMI, SCHOENOBATAE, GELASIANI.
Omnes prouocat unus iste Circus
Latinos ſalibus ſuis BATAVVS,
Et Gracos ſalibus ſuis BATAVVS.

NOBILI VIRO

NICOLAO MICAVLTIO

NICOLAI F. cùm ſacra laurea donaretur,

ODE SYNCHARISTICA.

QVISNAM *hic, quis nouus occupat*
Ardor? quis trepidum rapit
Docti ad culmina montis
Phœbo operatum?
An uerus uetus eſt amor
In te clare MICAVLTI?
Clarè à ſtirpe, opibus, magis
A probitate.
Ille eſt. ille meum ferit
Thyrſo pectus, & intima in-
Fundit gaudia, cùm uidet
Inclyto honore
Augendum. date lilia,
Flores ſpargite duplices,
Sertos ſiue ſolutos
Thura adolete.
Iam ſcandit Sophiæ arduas
Arces, iam capiti decus,
Aeternum ueniet decus,
LAVREA SACRA.
Qualis Scipio, murice
Inſignis, Capitolia,
Victus hoſtibus Afris,
Aurea ſcandit.
Plebes atque patres fremunt,
Hic cingit, ſubit, hic prait:
Illius noua tentat
Gloria pectus.
Perge ô tu quoque numine
Dextro victor, & aſſeve
Antiquæ fidei ſacra,
Heu! uiolata.
Quæ non flagitia adſpicis?
Quas labes ſcelerum? ruit
Doctrina illa uetus patrum, &
Patria uirtus.
Vt cùm præcipiti iugo,
Currus non reuocabili
Impetu fertur, equi negant
Obſequi habenis.
Nec ſpes ulla ſuper, niſi
Noſtra ô Belgica, bellicis

Tandem libera curis,
Munia pacis
Amplectare, cape, ô cape,
Quam CLEMENS *hominum pater,*
Quam Regum ille PHILIPPVS
Maximus offert.
Quæ mora vos Bataui tenet?
Quæ vos Mattiaci? date
Dextras, & veteri iugo
Subdite colla.
Tunc triſtes Superûm minæ,
Tunc Mars & Furor impius
Ibunt, atque redibunt
AVREA SAECLA.

AD COLLEGAS SVOS
In aduentu Romuli.

GAudete ô lepidi mei ſodales,
Vos dico vnanimi mei ſodales
Qui Graïjs ſimul exſules ab oris,
Audaces reuocaſtis ad Batauos:
Et nouos numeros ſeueriori
Lege conditis, & notam ſtuporis
Soli demitis auribus Batauis:
Gaudete, & niueo ſimul lapillo
Hunc ſignate diem. nouus ſodalis,
Soda-

Sodalis nouus, at vetus Poëta,
Cui dat ROMA *ſuum referre nomen,*
Se noſtris comitem dabit Camœnis:
Et ſuis ſalibus facetijſq́;
Reddet participes. Sed ô maligna
Fata! cur breuis hæc erit voluptas?
Cras viſet iterum ad ſuos Penates.
Vellem Romule, vel tibi Penates
Nulli eſſent, vel in hoc vt opido eſſent.

IN TRES POETAS
A IANO DOVZA FILIO
illuſtratos.

PHœbi delicium, Minervæ amores,
Patris delicium, meiq́; amores,
Qui te glorior imbuiſſe primo
Succo & nectare, DOVZA, *Litterarum:*
Quàm gratum mihi, quàm fuit ſuaue,
Quod ternos meditaris in Poëtas
(Doctos, Iupiter, & bonos Poëtas!)
NOTAS *ſcribere? quas, ſcio, probabunt*
Ij quos Aoniæ probant puellæ,
Quique ipſi Aonias probant puellas.
Perge DOVZA *meus, tuumq́; nomen*
Patris ſubſere nomini, imò patris
(Hoc pater vouet ipſe) vince nomen.

IN

SATYRAM MENIPPAEAM.

Ad Lectorem.

QVisquis eris bone vir Satyram lecture iocosam,
Pone supercilium.
Seria scripta legas caperanti fronte licebit:
Hic ioca, nugæ habitant.
Vana tibi hoc schidium referet ludibria somni:
Credere ne approperes.
Credenti nil scribo. meos quasi somnia libros
Qui leget, is sapiet.
Sed magis is sapiet qui non leget, & sciet ista
Affanias, apinas.

IN SAPHYRVM Βιοθάνατον.

OLVCTVM & lacrymas! meus Saphyrus,
Ille gemmula vera, non catellus,
Morte est præcipiti malagq; functus,
In vasum miser incidens aënum
Efferuentis aquæ. miser catelle,
Hæc te post tria lustra mors manebat?
Quis nunc blanditias hiante rictu,
Quis nunc blanditias mouente caudâ,
Hero vltrà faciet? quis obsidebit
OstI limen, & ingredi parantem

In

In se gestibus atque voce vertet?
Quis lusu recreabit? ô miselle
Non vltra facies: abisti ad Orci
Nigri limina. sit tibi benignus
Frater Cerberus, ipsa ditis vxor
Sit fautrix & aberro? sit patrona,
Illi delicium nouum pararis.

AD CALOREM TRIMETRI

pro IANO DOVZA ex grauedine & frigore laboranti.

CALOR Deûm Camille, genitalis Calor,
Siue in remotis INDIAE vagas locis,
Seu tesqua lustras AFRICAE igneo pede;
Seu potius inter Cælites DEVS DEOS,
Frater paterq; mollium Cupidinum,
Amabili Diona ludis in sinu:
Ades dator salutis & vitæ Calor,
Huc quà BATAVAE amœna LEIDAE mœnia
Aspirat aura frigerantis Thetyos,
Meumq; vatem, quem grauedo frigida
Tussisq; vexat & frequens screatio,
Quam non merenti nauigatio dedit,
Inuise (DIVE) latus obsecro, & volens.
Grauedinemq;, quæ decere Nestoris
Tria sæcla possit aut senectam Pelix,

Pelle

Pelle in niuales Caucaſi rurſum locos.
Hac namque tuſſi nec Camœnis iam litat
Meus Poëta, nec puellis iam placet:
Iacétque anheli mole pectoris piger.
Quem, quia potis leuare ſolus es, leua
CALOR *Deûm Camille, genitalis Calor.*

EPITAPHIVM
FAMILIAE SVVEERTIANÆ.
Antuerpiæ, in D. GEORGI.

PIAE MEMORIAE DICATVM.

VIator, heus reſiſte, rem tuam loquar,
Aut id quod eſſe non neges in rem tuam.
De Morte ſermo eſt, mortuiſq́. Cogita
Et hoc tibi fore. Seriò ſi cogitas,
In rem tuam, quod eſſe dixeram, tenes,
Et melior hinc abiueris, quàm veneras.

Franciſcus Sweertius GERTRVDI VAN OS
vxori opt. cariſs. poſ. Dein & ſibi, nec non
vxori II. ISABELLAE DE SORBRVECQ.
vt quiſque ad metam venerit. Sed
& filijs poſteriſque ſuis,

NAm longus ordo eſt. Hos & illos ſubſequi
Lex ſumma iuſſit. Fata quis homo vicerit?
Quæ non timere ſi voles, ſemper time.
MISERATOR DEVS MISERERE.

Obijt

Obijt GERTRVDIS A. CIↃ. IↃ. XCIIII. XII. Kal. Nou.
Obijt FRANCISCVS
Obijt ISABELLA

AD HIERONYMAM COLVMNAM.

O Quæ flos meritò potes vocari
Nympharum, quot erunt, quot aut fuerunt,
Ocelle Italiæ, COLVMNA, *ſalue.*
Pudiciſſima quot fuêre vel ſunt,
Et doctiſſima quot fuêre vel ſunt.
Tanto doctior omnibus puellis
Quanto es pulchrior omnibus puellis.

ERYCIO PVTEANO ſuo
calcar addit ad
Editionem EPISTOLARVM.

EQuando, PVTEANE, *vota noſtra*
Et tuam pariter fidem reſignas?
Quando FERCLA SECVNDA EPISTOLARVM
Illa lauta, diſerta, & erudita
Fas contingere, fas erit fruiſci?
PROMVLSIS *tua nuper hoc ſpopondit.*
Si negas, titulus reuincit: & cùm
ANTECAENIA *iam data, ipſa* CAENA

Iure

Iure poscitur. audin' hoc amice?
Et fides agitur tua, atque fama:
Libera vnâ operâ illam, & hanc adauge.

IN

PHILIPPI GAERINGI

Trudonopolitani Medici libellum Gallicum DE AQVIS SPADANIS, a THOMA RYETIO Mechlinienſi D. Medico Latinè redditum

SCAZON.

PRinceps aquarum, quas ſalubribus venis
Produxit, aut producet alma Natura,
SPADANA *lympha, alumna Eburonum terræ:*
Vires adepta in virus omne morborum,
Potenſq́ fata rumpere aut retardare
Cùm languidos à ianua auocas Orci,
Iterumq́ donas luce cælica veſci;
Tu nota paucis, & medela miranda
Adhuc latebas vix vel accolis nota,
Cùm prodijt GAERINGVS *ille, qui Phœbi*
Myſtes, & audit Aeſculapij proles,
Vir arte neſcio an ſcientia maior;
Qui nobilem te fecit, & tenebroſo
Oblivionis vindicauit à regno,

Tuus

Tuus ille præco: hic dona rara lympharum
Sermone notificauit, & & ſimul pennâ,
Sed (quod doleret alius incola Europæ)
Sermone vulgi; mox niſi alterum myſten
Phœbus THOMAM *excitaſſet, ipſe Romanâ*
Te veſte velat; ſicq́ pulchrius comptam,
Et plurium oculis vſibuſq́ communem,
Tibi Bauarica germen inclytum ſtirpis
Antiſtes Vbijs, ImperIq́ ſeptemuir,
Idemq́ Princeps huic Eburonum terra
ERNESTE *donat, Tu clientis hoc munus*
Quod ſanitas ridente fronte colluſtrat,
Ridente fronte ſume. ſic tibi longùm
Fluat tuiſq́ lympha prima lympharum.

PRO COMMENTARIIS R.P.

MARTINI ANTONI DELRII,

in Senecam Tragicum.

SI quemquam è veteri nouaq́ claſſe
Scriptorum colo, diligoq́, totâ
Mente & pectore; is eſt vterque ſcriptor
Cui nomen SENIVM *dedit ſenî expers.*
Namque alter ſuperat Thalem vel ipſum,
Qui ſcriptis ſapientibus recluſit
Quicquid in Sophia ſinu latebat.
Alter carmine ſe probat diſerto,

Et pleno grauitatis & ſonoris,
Quod ſuum quoque Pallas ipſa dici
Vellet. Hunc tenebræ ſed occuparant,
Anne æui vitio? anne quod rotundè
Dicta pleraque erant, ſatiſq; acutè?
Hoc tu, DELRIE, *corculum Mineruæ,*
Sermones vtriuſque doctè linguæ,
Vidiſti, & faculam ſtatim ecce tollens,
Hanc præfers adeò aptè & eruditè,
Vt quem rarò aliquis vir antè legit,
Nunc legant capiantq; vel puelli.

LVSVS IN ECHINI

SIVE

ERINACEI MORTEM IANO DOVZÆ V.N.
in delicijs.

FLETE ô tres pariter nouemq; NYMPHAE,
Et vos ingenia elegantiora
Ternas quæ colitis nouemq; NYMPHAS.
Heres mortuus eſt mei Poëtæ,
Heres delicium mei Poëtæ:
Quem plus ille oculis ſuis amabat,
Qui plus illum epulis ſuis amabat,
Qui cùm ludere, quem manu fouere,
Quem blandis ſolet excitare ronchis:
Cuius delicijs facetijſq;

Non

Non pugnet teneri columba STELLAE,
Non paſſer numeris ſacer CATVLLI.
Namque argutus erat, ſuúmque norat
Ipſum tam bene, quàm ipſe ſe, Poëtam:
Nec ſeſe à latere illius mouebat;
Sed circumſiliens herile Sigma,
Menſæ reliquias caducáque oſſa,
A ſola domini manu ambiebat.
At vobis malè ſit gelu atque frigus,
Quæ DOVZAE *ſua gaudia abſtuliſtis,*
DOVZAE *gaudia, vitam huic Echino.*
Quorum nunc operâ miſellus ille
Ad cymbam tremuli ſedet CHARONTIS.
At DOVZA *in miſera iacet querela*
Expers luſibus elegantijſq;
Quas heu, heu domino exhibebat olim
Heres delicium mei Poëtæ.

IN

IOANNIS HEVRNII CL. Medici
compendioſam artem.

O HEVRNI, *medicâ potens in arte,*
Germen Hippocratis vel AeſculapI,
Quàm libens video hunc nouum libellum!
Nouum, ſed veteri politum ab arte:
Qui mole exiguus, ſed vſione

Magnus;

Magnus; quidquid habent diſerta Graiûm
Scripta, quidquid habent & Italorum,
Vnus continet, explicátque nobis;
Nescias breuiusne clariusne.
Non adstrictior insula ille alumnus,
Non apertior ille Pergamenus.
Vt me iudice, quidquid horum vterque
Gloria sibi vendicat seorsum,
Vnus tu tibi vendicas, ô HEVRNI.

EIDEM REI.

LONGAM ARTEM VITAMQ. BREVEM *praedixerat olim*
Ille decus Medicis, & Deus Hippocrates:
LONGAM VITAM ARTEMQ. BREVEM *nunc dixerit idē*
Hæc si scripta legat Maximus Hippocrates.

Ad
GVILIELMVM BREVGELIVM.

LAVS ET VOTVM VITAE BEATAE,

ILLE *est par superis Deis,*
Et mortalibus altior,
Qui fati ambiguum diem
Non optat leuis, aut timet.
Quem non ambitio impotens
Non spes sollicitat lucri:
Quem non concutiunt metu

Regum

Regum præcipites minæ,
Non telum implacidi Iouis.
Vno sed stabilis loco
Vulgi ridet inania:
Securóque oritur dies,
Securo cadit & dies.
Vitam si liceat mihi
Formare arbitrijs meis:
Non fasces cupiam aut opes,
Non clarus niueis equis
Captiua agmina traxerim:
In solis habitem locis,
Hortos possideam atque agros,
Illic ad strepitus aquæ
Musarum studijs fruar.
Sic cùm fata mihi vltima
Pernêrit Lachesis mea;
Non vlli grauis aut malus,
Qualis LANGIVS *hic meus,*
Tranquillus moriar senex.

AD
GERARDVM SANDELINVM
Iurisconsulti titulo & honore donatum.

SANDELINE *eximie in meis amicis,*
Quem virtus mihi & elegantioris

Coniunxit ſtudium eruditionis:
Grator & faueo tibi hunc honorem,
Quem nunc Juſtitiæ manus ſeuerę
Alumno tibi donat atque myſtæ.
O felix honor, ô beata curæ!
Priuatis ſimul eſſe publiciſq́;
Rebus præſidium: bonos tueri,
Malos opprimere. euge mi GERARDE,
Surge atque exorere; eſto Sol, & iſtas
Quæ paſſim obtenebrant, fuga tenebras.
Sis tutor miſeris, probis aſylum;
At terror ſcopulúſque ſis ſceleſtis.
Sic Deus tibi pluria vſque donet,
Sic gradus modó hic eſto, & ampliorem
Nanciſcaris honore ab hoc honorem.

IN STAT. PAPINIVM
A IOANNE BERNARTIO
emendatum.

ECcum PAPINIVM *benigne Lector.*
Quis hic PAPINIVS? *Poëta magnus,*
Vel dicam potius, Poëta ſummus:
Certè proximus eſt Poëta ſummo,
Quod mecum fateatur ipſe Liuor.
Hic diu ſqualidus, impolitiaq́;
Cenſori meritò notandus, inter

Errabat nitidos ſuos ſodales:
Donec perdolitum id tibi erudite
BERNARTI, *& capis aſciam ac dolabram:*
Et quidquid rude, quidquid imperitæ
Affinxit manus ac perêdit ætas,
Dedolas ſimul & reponis. ídque
Rectâ iudicij regente normâ.
Quas grates tibi poſteri, & iuuentus
Præſens eſt habitura? credo magnas.
Debebunt equidem. tuam ipſe quercu
Frontem PANINIVS *libens coronat,*
Hac quam Cæſar ei negauit olim.

IN LOVANIVM.

SAluete Athenæ noſtræ, Athenæ Belgicæ,
O fida ſedes artium, ô fructu bona,
Latéque ſpargens lumen & nomen tuum!
Te Gallus, & Germanus, & te Sarmata
Inuiſit, & Britannus, & te duplicis
Heſperiæ alumnus. quàm frequens frequentia
Stipauit olim, & aduenarum copia!
Quæ minuit aliquid ciuicus, fateor, furor
Et Mars cruentus: ſed fuêre. quis neget?
Et fructus etiam apparet. ö quot millia
(Ita dico) protuliſtis inſignes viros,
Auxilia vel conſilia publicæ rei?
Quot famæ in æde conſecraſtis nomina,

Fati à limine, daſq́ ſanitati;
Vt paſtor rapit è lupi cruentis
Agnum faucibus, aſſeritq́ vitæ.
Inter multijugos tuos labores,
Queis arti Medicæ mederis ipſi,
Et preſſam ſenio erigis foueſq́:
Vel palmam ſibi poſcit hic libellus
Iuſto iudice. quo malas Agyrtûm
Fraudes ſic retegis fugáſque, ſicut
Phœbus nubila; & hos tenebriones
Mittis ad tenebras ſuumq́ ad Orcum,
Ne mittant alios deinde ad Orcum.

IN FASTOS SACROS
NICOLAI OVDARTI
V. R. & CL.

SACRA, *dies feſtos, olim Sulmone Poëta*
Condidit, & certâ diſpoſuit ſerie.
Sed ſacra non ſacranda, dies tenebris damnandos,
Et quos inſtituit nigra Superſtitio.
Tu SACRA, *tu* FESTOS *alios,* OVDARTE, *reponis,*
Et quos ſubſtituit candida Relligio.
Macte operis laudiſq́! olim Sulmone Poëtam
Carmine qui æquiparas, materie exſuperas.

AD

AD SODALES
De cœna Poëtica.

NE viuam lepidi mei ſodales,
Nec Muſas habeam mihi volentes:
Ni hæret penitis meis medullis
Cœna quam ſimul egimus Poëtæ.
Cœna dulcibus ebrioſa nugis,
Nec vinò mage quàm madens lepôre:
Et dictis ſine felle, quæ Catullus
Aut doctus ſua vellet eſſe Caluus.
O cœnam Iouis! ô cibos Deorum!
O Muſarum epulum! hanc ego beatos
Vates Elyſijs puto viretis
Vitam viuere, & has obire cœnas.
Ite, opes alij parate vobis,
Honores alij: mihi illa cura eſt
Heſternæ ſimiles habere cœnas.

IN CL. V. IOANNIS VVAMESI
Anteceſſoris Louanienſ. Commentarium
de Appellationibus.

ANtiſtes ille iuris, & legum ſacer
Doctor, cui Themis ſuum recluſerat
Pectus, ſuoq́ Aſtræa fouerat ſinu,
Abiuit ipſe, & cælites petijt locos,
VVAMESIVS *Louanio inclytum decus:*

Abiuit, at reliquit noſtris locis
Hunc VVEYMSIVM, & CORSELIVM, *Iuris ſimul*
Myſtas ſacratos: qui perire non ſinant
Eius labores, ſed dolatos proferant,
Tibíque Lector, publicóque conſecrent.
Quid reſtat? vt fruaris, & gratus ſies,
Vt plura ab iſthoc vberi impetres penu.

IN

AVGERI GISLENI BVSBEQVI

triſtem mortem & ſitum.

AVGERIVS *iſthîc eſt ſitus* BVSBEQVIVS.
Quis ille? quem virtutis & prudentiæ
Habuêre carum, gratiâ, ipſi Cæſares.
Hunc aula eorum vidit, aula & extera
Aſiæ Tyranni. quæ viri felicitas?
Probauit hæc & illa. in omni tempore,
In munere omni, Neſtorem ſe præbuit
Lingua atque mente. Iam quies eum ſibi,
Et patria hæc ſpondebat: ecce ⁎ *ſuſtulit* *An. 1592.
Viam per ipſam miles, incertum an latro
Sed ſuſtulit, ſimúlque ſidus Belgicæ,
Quod nunc choreas fulget inter aſtricas.

ODE

ODE

AD DIVAM HALLENSEM

ab interuallo conſpectam, & veneratam.

QVem me, quóue loci eſſe
Dicam? téne ego, DIVA,
Cerno? te fruor, & datur
Ora tueri?

Ora, quæ toties mihi
Contemplarier ardor:
Pro quâ luce tot olim
Voui ego vota.

Quorum nunc bene damnâs,
Sacram pronus ad aram
Flecto corpus, & ipſam
Conſecro mentem.

Suſcipe, & tibi deditum
O admitte clientem:
Et linguæ atque ſtili mihi
Frana relaxa.

Etſi quid tibi dicere
Dignum, DIVA, *habeam? tibi,*
Quæ magni genus es Dei,
Cui Deus ipſe

Imputat genus, & ſuam

Inſcribit ſibi matrem.
O mirum! ſtupet hæc humus
Et ſtupet æther.

Qui verbo omnia condidit,
Is ſeſe in gremium tuum
Verbum condidit, & tuâ
Editus aluo eſt.

Da flores puer, & ſacri
Da mihi thuris honores:
Illos ſpargere, & hos ſit
Fas adolere.

Plura non datur, & licet
Prædicare ſilentio,
Quæ laudes hominum ſupra,
Quæ Geniorum es.

IN PENNAM ARGENTEAM,

HALLIS ANTE B. MARIAE VIRGINIS ARAM SVSPENSAM.

HAnc, DIVA, PENNAM, *interpretem mentis meæ,*
Per alta ſpatia quæ volauit ætheris,
Per ima quæ volauit & terræ & maris:
Scientiæ, Prudentiæ, Sapientiæ
Operata ſemper. auſa quæ CONSTANTIAM
Deſcribere, & vulgare, quæ CIVILIA,

Quæ

Quæ MILITARIA, *atque* POLIORCETICA;
Quæ ROMA MAGNITVDINEM *adſtruxit tuam;*
Variáque luce ſcripta priſci ſæculi
Affecit, & perfudit: hanc PENNAM *tibi*
Nunc, DIVA; *meritò conſecrauit* LIPSIVS.
Nam numine iſthæc inchoata ſunt tuo.
Et numine iſthæc abſoluta ſunt tuo.
Porrò ô benignitatis aura perpetim
Hæc ſpiret! & famæ fugacis in vicem,
Quam PENNA *peperit, tu perenne gaudium*
Vitamq́;, DIVA, LIPSIO *pares tuo.*

AD DIVAM SICHEMENSEM.

ACcedo, DIVA, *trepidus ad ſacrum locum,*
Quem tu colis colenda; quem notum facis
Notum per orbem, ab inclytis Miraculis,
Quæ magna, noua & inuſitata, iſthîc patras.
En, DIVA, *pronus aræ ego aduoluor tuæ,*
Tu ſupplicem audi. tabet hoc corpus mihi,
Simulq́; corpori ipſa mens, & hæc negat
Munus ſuum vicéſque, & illud fungier.
Languore langueo, marceo; ego ſum lineæ,
Vt vera dicam, vnius homo. tu ſubueni,
Aut ire iam mox LIPSIO *exſequias licet.*
Sed ſubueni, rogamus hoc, per gaudia
Quæ nuncius cæleſtis attulit, ſacræ

Cùm

Cùm partioni te parentem deſtinat.
Rogamus hoc, & per doloris intimi
Senſus, vbi oculis ipſa conſpexti tuis
Cruentum in altâ filium fixum cruce.
Miſerere. VIRGO *mitis es; fac, quod ſoles.*
Miſerere. MATER *es Dei; fac quod potes.*

IN CL. VIRI

D. IOAN. VVALTERII VIRINGI

libros medico-eccleſiaſticos.

QVeis duplex fuerit labore in vno
Parta fama, fuiſſe credo raros:
Inter hos numerare te, VIRINGE
Fas eſt, iuſque; docebit hic libellus,
Corporis ſimul apta ſanitati,
Et mentis ſimul apta qui ſaluti
Dat præcepta: ſalúſque ſanitáſque
Sit tibi meritò, duplexque fama.

In eoſdem.

VIRINGI *liber hic, ſatis eſt dixiſſe ſcienti*
VIRINGVM. *Si quis neſcit, & hoc habeat:*
Hic liber & pius eſt, & doctus, dicet vtrumque
Si quis doctrinam, vel pietatem habeat.

IOAN-

IOANNI VERGERIO

AVRANO SVO.

VERGERI *mihi care, care Muſis.*
An non dixero? cuius ecce verſus
Et ſenſu lepidos, & elegantes
Verbis vidimus: atque eos bilingues.
Nam linguâ patriâ, & ſimul Latinâ
Scripti erant: quod amare & approbare
Et vetus queat, & noua hæc Poëſis.
Macte. téne ego cenſeam hæc minora
Sic induſtriè habere? te ſeuera
Addictum Sophiæ, & librâ ſacratis?
Quos tractas iuuenis, virente in ævo,
Tali iudicio acrimoniáque,
Aetas vt tibi vel ſenecta cedat.
Vix lanugo tuas genas inumbrat,
Barbatos tamen ipſe ego magiſtros
Te laceſſere, quid laceſſere? addam,
Vidi vincere. perge porrò ſumma
Laudis tangere: ſed Modeſtia vſque
Aſſit. ſic tibi laus perennis aſſit.

IN

D. BASILII SELEVCIENSIS ORATIONES

versas à

CLAVDIO DAVSQVIO Soc. IESV.

GRaeca vertere, vertit in frequentem
VSum nunc hodie, sed ánne laudem?
Non hercles. neque versio omnis audit
Fida sensibus, aut polita verbis.
Quod qui praestitit, ille laudis omne
Punctum, iudice me, tulit: tulisti
Omni iudice tu, erudite DAVSQVI,
Qui sacrum BASILII *& elegantem*
Librum, veste decenter induisti
Romanâ. atque adeò decenter, inquam,
Vt iam pallia spernat, & Seleuci
Vrbem pra Latiare mutat orbe.

IN HEVRIAM seu HEVERLEAM

ILL^mi & Excell^mi Principis CAROLI
Ducis Arschotani
Prætorium.

MOESTA ô BELGICA *nostra, tolle vultus,*
Tolle, & lumine latiore lustra
Magni PRINCIPIS *hoc opus; sacratum*
MVSIS & VENERI, & *venustiorum*
Quidquid est hominum. superba gaude

His

His adaucta Palatijs & Hortis,
Hisce Fontibus, hisce & Arboretis,
Xystis, Limitibúsque & Ambulacris.
O dispar facies vetustiori!
Antè scrabra loca hæc, & absque cultu
Horrida, ardua, iniqua, sabulosa:
Nunc quàm splendida, quàm polita rident!
Ades GRAECIA *tu vetus, vetúsque*
Ades ROMA: *mea ecce* BELGICA *audet*
Se conferre. & an ausit anteferre?

IN

ILLVSTRIVM IMAGINES FVLVI VRSINI

à FRANCISCO SWEERTIO F. illustratas.

HAE FVLVIANAE IMAGINES *adhuc erant,*
Quod titulus habet, imagines
Vitam dedit animámque noster SWEERTIVS,
Vnáque sibi vitam dedit.

IN AVBERTI MIRAEI R. V.

ELOGIA BELGICA

Scazon.

MIRAEE docte, qui facis meos Belgas
Aetate, sive incuria tenebrosos
Nostrâ, nitêre rursus atque splendere:
Qui singulorum patriam atque natales,

Aui-

Animíque dotes, ſcripta & ingenI fructus
Signas peritè, & acrimoniâ mentis:
Quid tibi reponent pro laboribus Belgæ?
Tituli hunc honorem, SOL MIRAEE, BELGARVM.

IN GYTONEM.

CYnade GYTON, *quo nec alter ditior,*
Nec alter eſt in vrbe Ponti doctior,
Loquentior nec alter, aut celebrior,
Non mollior, non pulchrior, non comtior:
Idemq́; GYTON *primas inter nobiles*
Sortite ſedes, ſtemma pulchrum à Romuli
Repetere gente doctus, aut ab Hectoris:
Quid nunc repentè ſuſcipis GYTON *probri?*
Aeterni & indelebilis quidem probri.
Eheu fugaces vidimus tuos pedes,
Eheu rapaces vidimus tuas manus:
Et ille GYTON, *diues vnus, nobilis,*
Cui comparatus ipſe pauper ſit Midas.
Auri crepantis incubans ſaccis domi.
Non ſoluit vnum plumbeum Vati meo.
Euaſit, abijt, fugit. O factum malum,
Fatumq́;, crimen turpe & indecens nimis,
Per quod licebit vt retexam illa omnia.
Cynade GYTON: *quo nec eſt egentior,*
Nec alter vnus vrbe Ponti ineptior:
Infantior nec alter, aut infamior:

Non

Non durior, non turpior, non fœdior.
Per quod licebit ora deinceps Batava
Non Punicam ſed Ponticam narret fidem.
Nollem accidiſſet hoc Athenis Belgicis.

IN PANEGYRES MARIANAS
MARTINI ANTONII DELRII
Societ. IESV Presb.

AD PATRONAM VIRGINEM.

MAGNI TONANTIS *mater & coniux ſimul,*
Simúlque proles, inclytum cæli decus,
A NVMINE *ipſo Numen alterum bonis,*
En aſpice hanc COROLLAM *& hocce* FLOREVM
SERTVM, *quod arte comparauit Dædalâ*
MARTINVS *ille* DELRIVS *myſtes tuus.*
En hîc ROSAE *cum* LILIO *&* NARDO *fragrant,*
En OLEA, PALMA, VITIS *ipſa Bacchica;*
Affulget iſtis LVNA *&* AVRORAE *iubar,*
SOLISQVE *ſplendor.* CASTRANE *etiam* MILITEM
Videre videor! video. nempe hunc HORTVLVM.
Et ſidus illucebit, & tuebitur
Vis atque miles. ô beate tu ſtili,
Acuminiſq́;! abite liuor & mali
Abite. Vindex ipſa huic myſtæ ſuo
PATRONA *virgo, & cum patrona virgine*
BILLAEVS *ille corculum prudentia,*
BILLAEVS *ille clarus & toga & ſago.*

IN EIVSDEM M. A. DELRII
Disquisitiones magicas.

CVius doctum opus hoc? quod ima, summa
Pennâ permeat & sagace mente
Sagas & stygias styges reuelat?
Quod tu Thessala terra, vosq; Colchi
Infames malè cantibus patrastis;
Quod Panes, Satyríque, Dusiq;
Peccastis, genus improbum salaxque,
Totum hoc eruit, erutis medetur:
Sed quis? DELRIVS eruditione
Idem relligione clarus. ergò
Hîc pura & liquida omnia; hîc venena
Nulla quæ timeas opinionum.
Huic libro faueas, faue tibi ipse,
Atque istum lege, vt ima, summa noris.

IN TABELLAM QVA
RVDOLPHI I. IMP. AVSTRIACI
PIETAS IN SS. EVCHARISTIAM
exprimitur.

Extat ea Bruxellis apud Guilielmum Miræum, Episcopi Antuerp. fratrem.

TV quisquis hanc bellam tabellam conspicis,
Historiam paucissimis cognoscito.

Comes

Comes fuit RVDOLPHVS *olim Habspurgicus,*
Cui rure iuxta riuulum, qui excreuerat,
Ferens ad ægrum quempiam Eucharistiam
Parochus fit obuius. Comes mox in pedes
Salit, suóque collocat Mystam loco.
Eunt simul, simul domos ægri petunt,
Intrántque triste limen, & isthinc iter
Aliud legunt. sed hîc equum vult reddere
Parochus; negat Comes, quin impium scelus
Nefásque ducit, ipse scilicet premat
Ephippion, quo vectus est cæli Deus,
Ait, pedésque conficit cœptam viam.
Fides inaudita: en sibyllina fata
De stirpe vates. Comiti inclyto canit
Aeternum honorem. Hoc præmium pietas habet.

IN PRAESCRIPTIONES R. P.
HENRICI SEDVLII.

SEDVLI *pater, inter eruditos*
Quem clarum pietas facit, piósque
Inter clarus ab eruditione es:
Ecquando dabis, id quod eruditi
Votis insimul & pij precantur?
Illud dico opus, hæreses quod omnes
Hæreses docet esse; quod refellit
Quicquid improbitas acuminata
Coloris sibi repperit strophæq.

Tu

Tu PRAESCRIBIS, *& amoues, itemq́;*
PROSCRIBIS. *procul impÿ ite in orcum,*
Vt cælum ſemel hic liber ꝟidebit.

ALBERTI ET ISABELLAE

lætitiæ & auſpicij indices
Louanij clɔ. Iɔ. xcix Kal. Decemb.
D. Catharinæ Sacr.

AEmulus aſſurgat Pharÿs ꝟel turribus ignis,
Ignefora, igne ꝟia, templa quoq. igne micẽt.
Quæ cauſa? ignis amor, flagrant nunc omnia amore,
Princeps, ipſa ꝟxor Principis, & populus.
Ille atque hæc ꝟtriuſque, atq; ꝟltimus ille, ꝟtriuſq;
Dÿ facite, æternùm mutuus hic ſit amor.

Idem πλατυτέρων.

QVòd latis flagrat ignis in plateis,
Quòd fora occupat, & domos ſacratas,
Quòd domos ſimul occupat profanas:
Non miraberis, hoſpes. ecce flamma
Multa huc ꝟênit. & ipſe flamma Princeps,
Vrit, ꝟritur; idem & eius ꝟxor.
Ille hanc, hæc magis illum, ꝟtrumque Belga.
Nam ſuos amat ille & illa Belgas,
Suos obſequio & fide perenni.

Quid

Quid Belgæ? ÿ quoque amant & illum & illam,
Et colunt ſibi cælites dicatos
Principes Dominoſq́;. flamma felix!
Vre atque ꝟrere tu caterua triplex,
Donec machina dædala iſta mundi
Fatali ruet & peribit igne.

AD

ARCHIDVCEM ALBERTVM.

CAeſarea de ſtirpe genus, ꝟirtutibus ipſam
Qui ſtirpem ſuperas, lætuſq́; ꝟolenſq́; ꝟenito:
Suſcipe Belgica ſceptra arcani munera fati,
Suſcipe, & æterno populos ꝟt fœdere firmes,
Accipe dáque fidem, dea cana hæc alligat orbem.

AD ISABELLAM.

QVæ cæleſte decus generis cæleſtibus æquas
Moribus aut ſuperas, ſidus quod ſpledet in orbe
Occiduo, radÿs tu noſtras pelle tenebras:
Da pacem ſexus pacate, & Belgica regna
Suſcipiens, ſerò ad ſeros tranſmitte nepotes.

IN MARIAM AVGVSTAM

R. V. FERREOLI LOCRII

ADes FERREOLI *aurea iſta Muſa,*
Ades quid trepidas? adire mene?
Qui plebi pateo, & bonis quibuſque,
Tene excluſero? ne Dei, Deaq́;
Sinant. Te mihi, quod ſatis ſuperq́; eſt,
Commendat meus & tuus MIRAEVS.
Quid ſi non etiam ille? tu-teipſe
Vno hoc carmine, quod notam venuſti
Præfert ingenij, ſimulq́; docti.
Ergo ades mihi Muſa amata, amande
Tu deinceps quoque LOCRI, *& æſtimande.*
NVMEN *audiat, audiat* PATRONA
Communis tibi, mîque VIRGO-MATER.

IN PINVM ARBOREM EX OPACO ET OBSITO
in hortum ſuum tranſlatam.

AD NICOLAVM BRANDIVM,
Conſiliarium.

ARBOR, *quæ meliore cælo & aurâ*
Noſtro pangeris hortulo, arbor olim
Sacra DIS *tribus. & Deûm parenti, &*
Fauno capripedi, ſimúlque Pani:
Arbor myſtica, quæ comâ virente.

Gaudes

Gaudes creſcere, & es perennioris
Naturæ nota: tu meo virenti
Sic viuas vireáſque ſemper horto:
Vt quarto quoque numini ſacreris.
Nam Muſam colimus: ſacratur ipſi
Muſæ hic hortus, & hortuli patronus.
Creſcere ergo hâc mihi lege, tolle culmen
Cæli ad ſidera, tolle nomen vnà
Muſæ: audebóne dicere? & patroni.

EPITAPHIVM

IOANNIS HOVII. Antuerpiæ.

D. O. M.

QVis hîc ſepultus eſt? IOANNES HOVIVS,
A ſtirpe honeſtus, moribus probus, grauis.
E merce rem quæſiuit, & negotijs
Terrâ maríque. rem quoque auxit, vſus eſt
Auctâ benignè. præfuit ELEEMOSYNIS,
Quod munus vrbe in hac habent primarium,
Nec admouentur niſi viri primarij.
Maritus idem bis fuit: ſed liberos
Tulit ex ſua priore tantùm iam tenes
Quis hîc ſepultus. ipſe quid? preces rogat
Suæ quieti impendier. Fac & VALE.

IN CORNELI KILIANI
Etymologicon.

QVISQVIS *Belgica amare, Belga, verba*
Audes; hunc quoque amare KILIANVM
Aude. qui egregio ſuo labore
Sermonem tibi patrium propinat,
Iam purum nitidumq́. qui fuiſſet
Aut aui, aut proaui tui, meique.
Non hîc Galle tuas, tuas Ibere,
Tuas Itale nunc repoſce voces.
Noſtra hæc fabula, ſcena tota noſtra eſt.
Ite exotica verba. KILIANVS
Dat pura & puta, Belgica. & quid vltra?
Et pura & puta dat ſimul Latina.
Duplex gloria. gratia eſto duplex:
Et Belga hunc amet, atque amet Latinus.

AD VENERABILEM PATREM
IOANNEM GERVLPHVM
Carthuſianum.

GERVLPHE, *ſanctis ſancte vates in locis,*
Deo & Camenis (ſed ſacratis) qui vacas,
SALOMONIAM *te interprete,* SAPIENTIAM
Legi lubens latuſq́. Fateor, & tuum
Miratus hoc in genere lumen ingeni

Lu-

Lumenq́. verſus, nempe ſumma lux Deus
Illuxit & direxit & mentem & ſtilum.
O te beatum vitæ, & ô ſtudij ſimul
In hoc ſacrato qui tenèris carcere,
Emancipatus cultui vnius Dei.
At nos profanum hoc & profundum habet mare,
Iactátque ventis. ſubueni tu vir ſacer,
Tuíſque votis & tuorum nos iuua.

SVPER SS. PATRVM SYNTAGMATE
A PETRO PANTINO V.R.
& CL^mo vulgato & eruditè verſo,
Phaleuci.

QVis nouus liber hic? Liber ſacratus,
Sacra nomina, res habet ſacratas.
Quis auctor? Varij, vetuſto ab æuo:
Cùm mos & pietas vetus vigebant.
Quis produxit? & ipſe noris, atque
Virtutis veteris: vetuſtiorum
Gnarus artium, & vtriuſque linguæ,
PANTINVS *meus. ille, comparatæ*
Cui niues videantur eſſe nigræ:
Quem ſuum veteres velint Athenæ,
Quem ſuum vetus ipſa Roma dici:
Quem meum cupio, & meum eſſe iacto:
Cui, dum corpore mens mea illigatur,

 Fido

Fido & firmo adamante colligabor.
Quod SANCVS *pater audiat*, FIDESQVE.

AD

R. V. NICOLAVM OVDARTVM,

ſuper propero tranſitu per Mechliniam.

O *Triſte fatum! te videre geſtiui,*
Et licuit ipſum te videre, nec feci.
Quæ cauſa? cauſa ſontica eſt, meus morbus,
Qui vexat, & tenace vinculo ſtringit.
Quid dicam amice? ducet ad meum finem.
O meta, & ô laboribus quies noſtris,
Et ô ſimul languoribus quies noſtris!
Non te refugio tangere. Aſpera hæc aui
Scientijs, virtutibúſque non æqui:
Libens relinquam. abite vana, vel praua,
Ad alta ſpecto, & originem mei calum.

IN LIBROS DE IIII. VIRTVTIBVS
R. R. LEONARDI LESSII Soc. IESV.

O *Lim fertur in igneis quadrigis*
Vates raptus ad ætherem fuiſſe:
Vis rapi quoque Lector? has quadrigas
Virtutum cape, ſcande: ſponſor adſum,
In calum rapieris hiſce libris.

IN BOETI CONSOLATIONEM
A IANO BERNARTIO IC.
& cognato ſuo illuſtratam
& emendatam.

EN BOETIVS *ille, qui ſophorum*
In primis ſophus eſſe gloriatur:
Qui doctum nimis, & ſatis diſertum
Scriptum hoc edidit, omnium bonorum
Bonum iudicio. ſed id tenebras
Aeui aut ingenio ſuopte, habebat.
Quas BERNARTIVS *ille, flos meorum*
Belgarum pepulit; facémque claram
A ſe prætulit. hanc ſequere, quiſquis
Doctrinæ ſapientiæq; cultor
Non audire, ſed eſſe, concupiſcis.

AD ANTVERPIAM
& inibi AMICOS.

ANTVERPIA, *vrbium ocule, amata* LIPSIO,
Et æſtimata vrbes ſupra omnes LIPSIO,
Quàm volupe mî te luminibus iſtis fuit
Vidiſſe nuper, atque amœna mœnia
Lento perambulaſſe identidem pede?
Quàm volupe pariter, illum amicorum gregem

(Ita

(Ita dico: plures namque sunt) illum gregem
Sermonibus fruitum esse, vel conuiuijs!
O Nectar, ô Ambrosia, & ômeis malis
Leuamen vnum! tibi, quòd animam ducimus,
Adscribo: tibi, quòd tangimus chartam & stilum.
Tu sola morbi Phœbus audies mei,
Tu sola sospitator Aesculapius.
Quid me futurum porrò, nouit hoc Deus,
Vita arbiter necisq́: sed ero, non ero,
Tuus ego viuus, mortuúsque. quod hac manu,
Hac mente testor: MAGNVS AVDIAT DEVS.

IN BRITANNIAM ILLVSTRATAM A.V.N.

RICHARDO VERSTEGANO.

BRITANNIA *insula, insularum quæ decus*
Et culmen audis, quotquot hoc nostro mari,
Neptunus ambit: en tibi laudem nouam,
Quam VERSTEGANVS, *stirpe ciuis qui tuus,*
Defert, vouétque. GENTIS *ille* ORIGINEM,
SITVMQVE TERRAE *pandit, &* LINGVAE SONVM:
Demersa tenebris aperit, & lucem duit.
Admitte lucem, & REGE *cum nouo nouum*
Assume Fatum. magnus ille, qui tria
Sibi regna subdit: maior autem, si Deo
Hæc regna subdit, & prioribus sacris.

AD

GVILIELMVM RICHARDOTVM, IOAN. BAPT. BARONIVM, PHILIPPVM RVBENIVM,

olim & nunc suos, sed iam Romæ sistentes.

PHALEVCI.

ERGO *vos habet illa magna* ROMA?
Florens olim opibus, superba tectis,
Læta ciuibus? vrbium vrbs, & orbis
Princeps? olim ea. nunc modestiores
Inscribit titulos, PIA *atque* SANCTA,
Et sedes adeò ipsa SANCTITATIS.
Verùm vos habet. ô meum dolorem,
Quod non me quoque habet! licebat, imò
Libebat, sed & addam ego hoc, decebat.
Quid tamen tenuit? mala illa Parca,
Qua filum mihi neuit, haud abire,
Qua filum mihi neuit, hîc obire.
At vos ô mea triga, dum fruisci
Iam datur, facite: & vetustioris
Illa vrbis monumenta, Templa, Circos,
Arcus, Balnea, Porticus, Theatra
Cùm lustrabitis, hoc subinde votum
Interponite: DOCTOR ILLE NOSTER
ADSIT LIPSIVS! *hoc iuuabit, & me*

Alâ hac viſite cogitationis,
Alâ vos ego cogitationis.

IN III. CANES LIPSIO IN DELITIIS.

SAPHYRVS.

GEmma dedit nomen. ſum verè gẽma catellûm
Quotquot terra habuit Belgica, habebit, habet.
Tale decus vultus, talis Venus. adde lepores
Ingenij, humanum qui ſapiant genium.
Et ſane eſt aliquid mî hominis. Vis argumentum?
Vina bibo, & vino nata me habet podagra.

MOPSVLVS.

MOPSVLVS aſt ego sũ, domini cõuiua: quid vltra?
En etiam lectum participo domini.
Eſtne aliud? domini dominus, ſi dicere fas eſt:
Vſque adeò formæ huic iungitur improbitas.
Sed formæ, quæ rara cluet. ſi examine iuſto
Pendor, quod nec ames eſt mihi, plus quod ames.

MOPSVS.

MOPSVS ego, formâ qui vinco ſæcla canina;
Quod nolim, in magno corpore nil habeo.
Quodq́ velim, dominũ, dominam, ancillãq́ voletes
Conciliat probitas ſimplicitáſque mihi.

Ille

Ille canis redeat, meruit qui cælica templa;
Si certet, terra hunc, me ſibi cælum habeat.

EPITAPHIVM

N. V. FRANCISCI VERDVGII

ET

VXORIS DOROTHEAE.

VIATOR, etſi properas, vt firmes gradum
Pij precantur Manes. Hîc primùm iacet
DOROTHEA *ſtirpe nobili* MANSFELDICA,
ERNESTO *patre nata, Luxemburgici*
Moderator & Præfectus qui fuit ſoli.
Denique poſt & Belgici Prorex ſoli.
Matrona caſta, prudens, liberorum amans,
Verens mariti. Quidquid in bona poteſt
Conſorte dici, dictum de iſta puta.
Maritus huic FRANCISCVS *è* VERDVGIIS
Ibericâ ſtirpe. is primâ ab adoleſcentiâ
Regi miniſter in pace & bello fuit;
Dum Mars perurit Belgicam ciuilibus
Flammis, Moderator ipſe Friſiæ datus
Transiſelaniæq́; pugnas inclytas
Pugnans, atque vicit. Plura dicere
Annales libri poterunt, quos Lector, roga,
Itémque poſitis hîc, veniam & pacem roga.
CONIVGI ET SIBI FRANC. VERDVGIVS POS.

IN SACRA CARMINA

D. LAEVINI TORRENTI

Antistitis Antuerpiensis.

TORRENTI *venerande, quem praesse*
Vrbi qua reliquis praest, & illam
Exemplis simul & docere verbis
(Munus Praesulis optimi) videmus:
Gratulor tibi, gaudeóque nobis
Qui Musas colimus politiasq́,
Quòd Musis iterum tuis fruemur,
Sed caelestibus & Deo dicatis.
Ite ter triplices leues puellae, X. novem Mūsæ
Cultrices Heliconis atque Pindi,
Nil regni hic fuerit reiq́ vobis.
Vani vana canant: iocos, amores,
Bella & praelia, vera, fabulosa:
Vni hae est operata Musa Christo,
Praeses sacra canit meus sacrorum,
Quae mulcere eadem & docere possint,
Gaudium dare, sed magis salutem.
Felix ô nimis & beata Musa,
Spirat tota Deum, Deusq́ & ipsam
Inspirat! duce namque eo paratum
Dicere hoc opus audeo & peractum.

EPI-

EPITAPHIVM

N. V. IANI DOVZAE.

DOVZA *meus iacet hîc. tecum mi* DOVZA *iacere*
CANDOREM & MVSAS *ingenuè fateor.*

INVITATIO AD SENECAM.

ANNAEVS *iste* SENECA, *quem vides* LECTOR,
Ait fuisse magnus inter auctores,
Seu tu Latinos, siue respicis Graecos:
Sapientiâ, inquam, & Eloquentiâ magnus.
Et scripta lustra, iudicabis hoc mecum.
Nam dictio ipsa docta, florida, arguta:
Quid sensa? promit dogma Stoica secta,
Secta virilis, alta, ad alta ducentis.
Vis vana rerum, & falsa regna fortunae
Despicere, vel ridere? vis decus summum
In vno honesto, ponere atque virtute?
Docebit, asseretq́: melius vt possit,
Nos censione puriorem ab hac nostra,
Itemq́ clariorem ab ingenî luce,
Tibi damus. aude tangere atque lustrare:
Ego fallor, aut ad ipsa templa te ducet
Sophia serena, clara. vbi illa sit mentis
Tranquillitas serenitasq́ diffusa.
Vnde tibi fas aspicere caelicas oras,
Et fas simul suscipere caelicas curas,

 Despi-

Despicere terram, & terrea ista: quid dico?
INGREDERE, *dictis plura scio reperturum.*

EPITAPHIVM
DANIELIS VANDER BAREN
IVDOCI F. Louanij in D. PETRI.

D. O. M.

PIctore patre natus hîc iacet puer,
Opusq́ patris est, quod vides, & non vides.
Res qua fuit, non est; sed vmbra isthæc manet.
Res ipsa quinque spatia solis egerat,
Cùm Deus ab ista luce ad æternam vocat.
O vita breuis! ô BVLLA HOMO! *si cogitas,*
Tu breuia sperne, anhela ad immortalia.

IVDOCVS VANDER BAREN mœstus pater affectus & artis suæ hoc specimen pos.
DANIELI SVAVISSIMO FILIO,
Qui obijt XII. Kalend. Iunias ∞ IↃC.
Cùm vixisset annos quinque, menses circiter V.
HVC PRIMVS ET VLTIMVS ORDO.

IVSTI HARDVYNI ALBO INSCRIPTVM.

*Franciscum insignẽ Poëtã.

*ET *patrem tuum amore,* IVSTE, *iusto*
Dudum prosequor, eruditione
Hoc variâ meritum, elegantiáque

Morum

Morum atque ingenij: amore, IVSTE, *iusto*
Et te prosequor hoc parente natum.
Si vestigia consequi parentis
Porrò pergis, & eruditione
Hunc refers simul elegantiáque.
Tu fac, & faciam: manu ecce signo

IVSTVS LIPSIVS.

IVSTI LIPSI EPITAPHIVM,
Quod sibi ipse scripsit & poni mandauit,
anno clↃ. IↃCIV. III. Id. Feb.

QVis hîc sepultus, quæris? ipse edisseram.
Nuper locutus & stilo & lingua fui;
Nunc altero licebit. ego sum LIPSIVS:
Cui litteræ dant nomen, & tuus fauor.
Sed nomen. ipse abiui. abibit hoc quoque:
Et nihil hic orbis, quod perennet, possidet.
Vis altiore voce me tecum loqui?
HVMANA CVNCTA *fumus, vmbra, vanitas,*
Et scænæ imago, & verbo vt absoluam, NIHIL.

Extremum hoc te alloquor:
Aeternum vt gaudeam, tu apprecare.

FINIS.

ANDREAS SCHOTTVS Societ. IESV.
AVBERTVS MIRÆVS Canonicus Antuerpiensis & Bibliothecarius.
BALTHASAR MORETVS Ioannis F.
DANIEL HEINSIVS Professor & Bibliothecarius.
ERYCIVS PVTEANVS Professor Regius.
HERIBERTVS ROSWEY Soc. IESV.
HVBERTVS AVDEIANTIVS Canon. Brugensis.
IANVS GRVTERVS Bibliothecarius Palatini.
IANVS LERNVTIVS V. N. & Poëta.
IOANNES BOCHIVS S.P.Q. Antuerp. à Secretis.
IOANNES BRANTIVS ab Actis S.P.Q. Antuerp.
IOANNES HEMELARIVS Canonicus Antuerp.
LAVRENTIVS BEYERLINCX Canonic. Antuerp.
LVDOICVS NONIVS Medicus Antuerp.
MAXÆMILIANVS VRINTIVS S. P. Q. Gand à Secretis.
PETRVS SCRIVERIVS Poëta.
PHILIPPVS RVBENIVS. S.P.Q. Antuerp. à Secretis.
ROBERTVS SWEERTIVS plebanus Syluæducensis.

MARCI

MARCI ANTONI BONCIARI PERVSINI EPISTOLA AD SENSVM SENSIVM.

DE IVSTO LIPSIO mecum sentis, Vir ornatissime, mecum autem? imò planè cum omnibus, quos siue amœnitas liberalium studiorum, siue Musarum recessus altior, & secreta delectant. Equidem ita mihi persuadeo, non fuisse ab aliquot sæculis hominem maiore Ingenio, acriore Iudicio, vberiore Doctrinâ. *Ingenium* admiror maximè in sententijs aut excogitandis, & de nouo cudendis, aut ita expoliendis & exornandis, vt ad omnem rem, de qua loquitur, semper aptas, semper concinnas, atque cum illa natas habere videatur. Vt mirum non sit, accidisse LIPSIO in hoc genere, quod haut scio an & veterum planè vlli; vt eo viuente à doctis viris ex illius monumentis sententiæ colligerentur & ederentur. *Iudicium* apparet illud quidem singulare in omnibus, sed præcipuè in rerum ordine tractandarum. Lege ab illo scripta quæcumque voles: negabis vllam materiam ordine ac methodo clariore disponi potuisse, vel ad perdiscendum, vel ad recordandum. Certè *Politica* tot ex auctoribus compacta, in illam seriem ordinémque digerere, non solùm immensi operis, sed etiam eximiæ cuiusdam prudentiæ fuit.

Lipsi ingenium.

Iudicii.

Quem ego librum cùm lego, regiam aliquam mihi videor intueri, rebus omnibus instructissimam. Et est planè regia, in qua primùm Rex ipse amplum atque augustum habet domicilium, deindè comites & magistratus Regi proximam sedem occupant: quam excipiunt hinc atque hinc togatorum armatorumque stationes, atque cubicula discriminata. Totum verò prætorium, quàm altè surgit, quàm latè extenditur, non fabricatus est LIPSIVS, etsi erat peritissimus homo fabricandi; sed maximè veteres nobilésque opifices ex Latio, & Græcia, & Ægypto accersiuit, ad tantum opus ædificandum, & construendum: quibus ille omnibus, quasi fabris, præcipiebat vt architectus. Iam quod attinet ad *Doctrinam*, ea non solùm magna, sed varia, multiplex, & exquisita, rerum etiam diuersissimarum. Scribat aliquid de *Theologia*, vt interdum necesse habuit scribere, in *Politicis*, in *Constantia*, in libris de *Cruce*, sed maximè in eo libello, quem inscripsit, *De vna Religione aduersus Dialogistam:* videbis, quàm altè penetret in diuinam illam scientiam, & quàm intimè omnibus, siue Græcis, siue Latinis Patribus vsus esse videatur. Adfirmat mihi Theologus nostri gymnasij longè princeps, *M. Antonius Massius*, non esse ferè inter Theologos, qui difficillimam atque obscurissimam illam *De Fato* quæstionem, ita perspicuè, distinctè,

Doctrinam.

Peritia Theologiæ.

intelligenter tractauerit, quam in primo *De Constantia* libro IVSTVS LIPSIVS. Age verò, fac eumdem differere, vt sæpè differit, de minima & tenuissima artium *Grammatica*: non Diomedem, non Charisium, non Priscianum dices illi esse anteponendum. Exemplo sit subtilissimus, idémque luculentissimus *De Latina pronunciatione* dialogus; in quo non video, quid optimus quisque & acutissimus Grammaticorum requirere possit: vt posteros credituros non putem, ab vno ingenio, & illa suprema, & hæc infima, tam doctè, tam scienter, tam æqualiter potuisse tractari. Quid artes & disciplinæ (vt sic dicam) intermediæ, *Dialectica, Philosophia, Ius ciuile?* Legantur libri, quibus Ciuem informat, & quibus Regem: apparebit, quàm non inanis & fucatæ, sed veræ ac solidæ sapientiæ consultus fuerit. Ius autem ciuile, non solùm scientiâ, sed etiam professione suum vindicat, ad eorum, qui docent, numerum adgregatus. *De* Rhetorica & Poëtica *dubitatum aliquando est à nonnullis, certè numquam à me, qui & scitissimos quosdam eius versiculos olim legeram, & tales omnis generis lucubrationes singulari artificio laboratas atque excultas esse intelligebam. Sed proximè omnem dubitationem sustulerunt, præter varia epigrammata, recusa, cum* Antiquis Lectionibus, Leges hortuli; & *nuper*

Grammatices.

Iurisprudentiæ.

Poetices.

nuper vulgata Oratio, *quam habuit apud Principes ſuos Auſtrios, agens gratias de ſuo, ex illorum ſplendore, gymnaſio illuſtrato. Ex quibus liquidò conſtat, ſi vel ad poëticam ſuauitatem, vel ad oratoriã grauitatem animum appellere velit, fore in vtroque ſtudio ſingularem atque eximium.* Reſtant, opinor, tria, quæ ad humanitatem magis propriè pertinent, *Scientia linguarum, Explicatio auctorum, Notitia antiquitatis:* in quibus, omnium ſuffragio, tenet LIPSIVS principatum. Itaque riſi hominem non indoctum, qui non maximam Græcæ linguæ cognitionem illi tribueret, quòd idem LIPSIVS in epiſtola quadam negaret, ſe multam operam huic ſtudio impendiſſe. Magnum teſtimonium, ſi de illius excellentiâ, ex illius modeſtiâ, non ex æternis ingenij monumentis iudicandum ſit. At ego, *Vide*, inquam, *mi homo, quàm multa in Græcis corrigat, exponat, conuertat feliciſſimè.* Nam quod ad *Criticam* attinet, me potiſsimùm in admirationem rapit, quod in ſcriptis veterum emendandis ita ſemper eſt felix, vt ſiue inueniat veram lectionem, ſiue non inueniat, parem gratiam ab ipſis auctoribus, & à nobis lectoribus mereri videatur. Adeò enim quadrat loco quidquid illi venit in mentem, vt etiam cùm fallitur fortaſſè, non fallat expectationem noſtram: ipſos autem ſcriptores, ſi reuiuiſcant, dubitaturos putem, antiquûmne ſuum malint, an Lipſianum nouum. Delectat verò etiã illud

Græcæ linguæ.

Criticæs.

illud mirabiliter, quod non ſatis habet obſcurum locum illuſtrare, inuolutum explicare, ægrum ſanare: ſed inter curandum ſemper adhibet facetum aliquid & ingenioſum, quod quaſi leniat præparétque ſcriptorem malè ſanum ad medicinam excipiendam. Chirurgi mulcent hoc modo artus inſigniter læſos, & medicam manum exhorreſcentes. Supereſt *Notitia priſci aui*, quæ in LIPSIO tanta eſt, vt vidiſſe Rempublicam Romanorum, & actis omnibus, non modò per ſomnium, vt exponit in *Satyra*, ſed verè ac ſeriò interfuiſſe videatur. Felicem hominem, qui per ea quæ repperit, quæ diſpoſuit, quæ ſciuit, & vixit antequam naſceretur, & ita eſt natus, vt nunquam ſit moriturus! Felicem iterum, qui nouo more duplicem adeptus eſt gloriam, & quæ ante illum fuit maximè diuturna, & quæ poſt illum futura eſt immortalis! Felicem ter & amplius, qui hanc tantam & tam admirabilem omnium laudandarum artium cognitionem, cum æquali candore animi, religione, pietate coniunxit. Vale. Peruſiæ, ex collegio S. Bernardi. clɔ. Iɔcii. Hanc epiſtolam cum *Iacobo* fratre, nobiſcum penitùs ſentiente, communica, qui tale aliquid à me expoſcere videbatur.

Antiquitatis.

APPROBATIO CENSORIS.

QVod ERRANTES *has* MVSAS, *velut minonores quosdam ignes magni illius Litterarum Solis* I. LIPSI, (*cuius imperium occasum orbis Christianus ingemuit*) *sedulò collegeris, & collectas orbi intuleris* FRANCISCE SWEERTI; *amico heu! quondam tuo debita iusta piè persoluis, & apud omnes Litterarum & Sapientiæ alumnos, gratiam inis immortalem. Quare cùm, vt benè tuus adnotauit* SENECA, *nefas sit sentire senium, multò minùs exitium, quod à viris magnis, profectum aliquando; has tuas lucubrationes pralo, & luce dignas censeo*

Laurentius Beyerlinck S. Theol. Licent. Ciuis, Canonicus, & Censor Antuerp.

Datum Antuerpiæ in Seminario Episcopali, IV. KAL. Nouemb. ∞.ɔɔ.IX.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI & ISABELLAE CLARAE EVGENIAE, Archiducum Austriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimorum Belgicæ Principum, Priuilegio cautum est, nequis CL. V. IVSTI LIPSI MVSAS ERRANTES, præter voluntatem Ioannis Keerbergij Typographi Antuerpiensis, intra sexennium imprimat, aut alibi excusas in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalésve habeat. Qui secus faxit, confiscatione librorum, & alia graui pœna mulctabitur; vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ 28. Nouemb. Anno M. DC. IX.

Signat

Bondewijns.

KSIĘGARNIA
ANTYKWARIAT
DOM KSIĄŻKI
688897 E

39